AMPVTANDVM

PVTABAM RADIX STIRPS ET GERMEN ERRORVM

Auctore

P. IOANNE DAVID

Societatis IESV *Sacerdote.*



ANTVERPIÆ

APVD IOACH. TROGNÆSIVM.

M. DCXII.

ILLVSTRI AC GENEROSO
DOMINO
D. CAROLO
DE YEDEGHEM
EQVITI AVRATO
DOMINO DE WIESE
BOST WATOE
BARONI DE BVSBEKE
&c.
LEGENDIS
PER FLANDRIAM
MAGISTRATIBVS
COMMISSARIO
ORDINARIO
CIVITATIS SALÆ
ET CASTELLANIÆ
IPRENSIS
SVMMO PRÆTORI.

LEGE cautum erat, Illuſtris ac generoſe Domine, vt qui olim Athenas migrabant, ſi qui-

dem ius ciuitatis consequi vellent, sese ad aliquem potentiorũ ciuium applicarẽt, cuius in tutelam se suaque omnia committerent; ne homines scilicet extranei, improborum (vt fit) paterent iniuriis. Hanc ego legem secutus, vix peregrinum hunc partum mente conceperam, quin simul de patrono ei adlegẽdo cogitarem, quo eum aduersus inuidiam, sub vmbra nominis sui, tueri posset & vellet. Quæ duo cùm in te potissimùm coniuncta esse scirem, auctoritatem nempe, qua polles, beneuolentiamque, quam in me tuam non raró sum expertus; non du-

dubitaui rem licet tenuem illuſtri nomini tuo inſcribere: præſertim, cùm & alia multa haberem, quę me eodem impellerent.

Cui enim potiùs diffluentem hunc paſſim imprudentiæ ramum, (*Putabam amputandum*) dicarem, quàm ei, qui & ſua priuatim vineta cædere, & aliorum publicè luxuriem ſtringere ſapienter nouit? quorum alterum eſt viri, alterum Cēſoris boni. Enimuero, quę duo in priſcis illis grauiſſimisq; Romanorum Cenſoribus inerant, ad publicos ciuitatis mores attendere, & legere in ſenatum, quos idoneos iudi-

dem ius ciuitatis consequi vellent, sese ad aliquem potentiorũ ciuium applicarẽt, cuius in tutelam se suaque omnia committerent; ne homines scilicet extranei, improborum (vt fit) paterent iniuriis. Hanc ego legem secutus, vix peregrinum hunc partum mente conceperam, quin simul de patrono ei adlegẽdo cogitarem, quo eum aduersus inuidiam, sub vmbra nominis sui, tueri posset & vellet. Quæ duo cùm in te potissimùm coniuncta esse scirem, auctoritatem nempe, qua polles, beneuolentiamque, quam in me tuam non rarò sum expertus; non du-

dubitaui rem licet tenuem illustri nomini tuo inscribere: præsertim, cùm & alia multa haberem, quę me eodem impellerent.

Cui enim potiùs diffluentem hunc passim imprudentiæ ramum, (*Putabam amputandum*) dicarem, quàm ei, qui & sua priuatim vinea cædere, & aliorum publicè luxuriem stringere sapienter nouit? quorum alterum est viri, alterum Cẽsoris boni. Enimuero, quę duo in priscis illis grauissimisq; Romanorum Censoribus inerant, ad publicos ciuitatis mores attendere, & legere in senatum, quos idoneos iudi-

carent; ea vt in te pulcherrimè conspirarent, nuper Serenifs. Principum nostrorum fecit auctoritas, cùm ad Cẽsoriam siue Prætoriam illam virgulam, qua pridem insigniebare, alterum item munus, haud paulò maius, adiunxerunt, teq; vnum è magna candidatorum turba elegerunt, quem creandis per Flandriȩ oppida Magistratibus cum eiusdem Spartæ collegis præficerent.

Qua in re liquidò demonstrarunt, quantum de tua integritate, fide, sapientiaque confiderent. Si enim vsquam infelix hoc germen, (*Putabam*) facilè enasci solet;

let; certè in hoc munere obeundo, quo infeliciùs pullularet, grauiusque officeret, eo diligentiùs est *amputandum*. Viro enim Censorio nimiùm pudendę forent hæ voces; *Putabam* hunc Senatorem virum esse sincerum atque apprimè Catholicum; & ecce, iam fictus deprehenditur, planeque politicus: hunc officiarium, integrum & incorruptū; at, quia egens est, & sumtuosus, magnoque in ære alieno, Iustitiā habet venalem, & vndiq; munera aucupatur: & hūc postremò, virum probum, honestisque moribus; at ebriosus atq; impurus pessimo ciuibus est

exemplo. His tamē errorum periculis sese exponunt, qui in re tanta præcipites (quod
1.Reg.11. callidè volebat Naas ille Ammonites) dextrum oculum, *rationis atque consilij*, facilè sibi erui patiuntur; sinistrum verò, *opinionis incertæ*, largitione, gratia, necessitudine, velut clypei cuiusdam obtentu, ita obscurari, vt nec verum cernere, nec publicæ rei consulere vllo modo possint.

Sed, hæc eorum semina longè longiùs à tua prudentia abesse, tum Flādria quanta est vniuersa, tum tua in primis Ipra testatur; vbi tot iam annorum decursu, tanta

in-

in varietate negotioru̅, nemo vnus inuẽtus eſt, qui tibi præreptum iret perpetuam illam *ſapientiæ* laudẽ, quam & felici quodam *omine* mihi ſemper es viſus ipſo gentilitij ſtemmatis *nomine* tituloque præferre, quotieſcumque audirem, te Dominum de *Wieſe*, ceu *Wijſe*, vernaculo noſtro idiomate, nuncupari. Accipe igitur Illuſt. D. candidum tam candidi erga te animi ſymbolum, iure tibi meritiſſimo debitum; illudque ſingulari tuo patrocinio contuere.

Illuſt. tuæ D. ſeruus in Chriſto

IOANNES DAVID.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Ælian. histor. animal. lib. 2.

QVemadmodum, teste Æliano, pisciculus in mari esse perhibetur, qui caput ceti antegrediens, quasi temo eius existit, cuncta illi præsentit & prouidet, extremaq; cauda præmonstrat, tum declinanda, tum persequenda; cibatum eidem conciliat, insidiasque à piscatoribus positas signo prodit: ita homo è cōtrario habet pusillum nescio quid, pisciculo vilius, quod ipsum assiduè & ferè per omnia in mille errores, Sirenes, Syrtes, Scyllas, Charybdes, & grauissima incommoda inducit, & quidem sic satis volentem præcipitat. Est autem istud, ridiculum illud & ignominiosum, sed tamen perniciosum ac omnibus modis detestandum, Putabam.

Mirabuntur, vix dubito, multi, nec pauciores fortasse ridebunt, hoc meum tam friuolum, vt prima frons indicat, institutum; concedo lubens, & remitto eis hoc immaturum præiudicium: sed tamen penitiùs percontantes, ac altiùs submittentes bolidem, negare non poterunt, quin rem acu tetigerim, & pupugerim vlcus: nisi velint & hic quoque, per illud inuisum Putabam, se sinere à vero & recto in falsum & prauum abduci. Quapropter, à præ-

pro-

propero lingua temeraria placito & decreto, ad sedatum ipsorum mentis tranquilla tribunal, natura ipsius iure, appello; ibi paratus stare iudicio. Neque quemquam iturum inficias, mihi certò persuadeo; quin iuxta libelli titulum, ex nefario illo Putabam, *tamquam ex infelici stirpe, peiori propagine, omnes propemodum* errores *in quotidianis mortalium vsibus enascantur & pullulent: vt eapropter non immeritò hanc eius fronti infamem notam inurendam censuerim*, Amputandum putabam. *Istud autem* res ipsa *testabitur, & claris verbis edisseret, si loquentem audire non fueris dedignatus. Hanc igitur eius esse confessionem existima; sic enim ait:* Communis *humana vita conditio sic est constituta; vt innumeris pro sua infirmitate obnoxia erroribus, nihil ferme vel agere vel dicere homines sinat, cui non aliquis lapsus è propinquo insidietur, non secus quam debili pedibus, gelascente paulatim pluuia, lubricata platea solent. Hinc sicuti lapsus pedum, ita & lapsus lingua, memoria, carnis, disciplina, & omnis generis error, lapsus vocatur.* Iam verò, *quemadmodum, vt ita dicam, nihil humana miseria tam vsitatũ & frequens, quàm labi assiduè atq;* errare: *ita nihil eidem tam procliue & obuium, quàm vt pudibũdum illud velamen errori commisso pratendat, dicendo,* Putabam; *vel, pro rei nata natura,* Non putabam. *Quod dum facit, quid aliud, quàm reuera seipsum magis deturpat & prodit; quando iam manifestè declarat omnem*

ferè

ferè errorem & lapsum ex hac radice oriri, quòd videlicet loco scientiæ ac prouidentiæ; opinari & existimare, primas in modo procedendi sibi vendicare permiserit. Taliter, ecce, si bene attendimus, res ipsa loquitur, & testatur; atq; ita se habet. Quocirca, præsenti tractatu, in tres potissimum partes distinguendo, primùm indignitatem huius abusus, quo neglecta scientia veraq; rerum cognitione, Putationi tam multum tribuimus, exponemus: tum errores ex hoc Putamine, tamquam ex vili concha vel potiùs spuma marina quotidie emergentes, per exempla quotidianamq; experientiam, in suum ipsorum opprobrium manifestabimus: ac postremò, per varias amputationes docebimus, quónam pacto detestandum & infame Putabam, si modò nobis consultum volumus, sit omni diligentia amputandum.

IN AMPVTANDVM

PVTABAM

HENDECASYLLABON.

Cur caligine mergitur profunda,
Cur in Cymmeriis latet tenebris,
Tot erroribus *implicatus orbis?*
Omnes quippe putant; putatq́ *nemo,*
Qua vi, qua ratione, tot malorum
Stirpem stirpitus amputet Putabam:
Stolonem hunc stolidum ac malè ominatum,
Labruscam fruticantibus flagellis,
Nostra queis nimiùm, gradus per omnes,
Vita exuberat, imputata *vitis.*
O quis stringere & amputare doctus
Ramos vinitor amputet *fluentes!*
Stringat luxuriem Putationum!
Est, qui possit vtrumque, & hoc & illud,
Dauid; qui, fidibus valere iussis,
Pro testudine falculam prehendit,
Tractari facilemq́, splendidamq́,
Ad cotem ingenij sui exacutam.
Qua tu falce Putabam *vt* amputâris;
Mox, pro palmitibus malè auspicatis,
Pro stolonibus hisce frugiperdis,
Virgulto meliore pullulabis
Virtutis; catus aureum vnde tandem
Defringas sapientiaq́ ramum.

I. d. Codt.

LIBELLI ÆTERNITAS.

An quæris, quamdiu viuet fors iste libellus?
Quamdiu tartarei stant Phlegethontis aquæ.
Dum resonabit enim per Auerni claustra Putabam:
Stabit & istius vis memoranda libri.
Nos insensati (*ingeminant per tartara* manes)
Esse putabamus *cœlica Regna iocum.*
Esse putabamus *nunc & post fata* beati;
Et dedit in stygias error amarus *aquas.*
Ergo, volumina cetera quando peremerit ætas;
Viuet in æternum, *ceu* Metanœa, *liber.*

INDEX

INDEX PARTIVM ET CAPITVM AMPVTANDI PVTABAM.

PROOEMIVM.

QVIA communiter, ex Indice, totius ferè Tractatus substantia, quasi quodam extorum scrutinio, solet intelligi: idcirco non abs re facturum me credidi, si breui huic Indiculo procemium quoddam præfigerem, quod ad maiorem omnium collustrationem, quasi vngue quodam, rem omnem constringeret inspectandam.

Quàm notum est omnibus, quà ex Iphicrate apud Græcos, quà apud Latinos ex Scipione, prudentis non esse dicere, *Non putaram*: tam tritum est atque vulgare vniuerso orbi, quod vulgò dicitur; *Stultum est, putare.* Hinc admodum facetè, in teutonico idiomate, præsertim inferioribus Belgis est in vsu, vt quicumque prætenso aut sperato aliquo munio vel officij gradu frustratur; ille vernacula patriæ lingua ironicôs audiat: Hy is

Sche-

Schepen/Burgemeester/Raedtsheer/President/etc. van Meenen. hoc est, Senator, Consul, aut Pręses Menenensis. Meenen/ siquidem oppidū est Flandriæ ad Lisam, inter Insulas & Cortracum situm. Meenen autem, seu Meynen/ verbum infinitiui modi, idem est, quod *putare:* hinc quisquis, vt dixi, non assequitur quod se assecuturum *putabat*, hoc illi cum adiuncto vocabulo Meenen/ seu Menenensis, per iocum attribuitur: quod idem est, atq; si Latinè dicamus; Est Consul, Censor, Dictator, &c. putatitius: quo *error* ille innuitur, qui ex inani persuasione, vel non satis prouida circumspectione, & *putandi* vanitate fallaci, oboritur: quod toto isto libello pertractatur. His ita pręmissis, vel ipse solus Indiculus, compendij instar, rem omnem aperiet, Lectorisque obtutui repræsentabit.

PARS

PARS PRIMA

PARS SECVNDA

Caput

Dionys-

PARS TERTIA

AVCTORIS

CAVTELA.

BEneuole & amice Lector, quoniam multa homini, etiã maximè prouido ac circumspecto, quotidie obueniunt, quorum nec erat nec esse poterat præscius, vt propterea vti cogatur hoc verbo, *Putabam*, vel, *Non putabam*; quod neque sanctissimi prudentissimique vnquam viri vitare potuerunt: idcirco, ad maiorem cautelam, te admonendum duxi; tale *putabam* libello nostro non reprehendi, sed illud dumtaxat, quod, vti præcaueri debebat & poterat, ita admissum culpa non vacat.

Eoque magis hanc cautelam in fronte libelli statuendam credidi, quòd quidam fortasse sibi sint persuasuri, etiam mihi quamprimum hoc meum *Putabam* meritò objiciendum, quotiescumque aliquid (vt varia sunt hominum euenta) mihi inopinatò accideret, cuius non fueram præsagus aut præscius.

Alioqui, quemadmodum neque meipsum ab hoc communi defectu excludo vel excuso, quo etiam in erroneum *Putabam*, quæ nostra est miseria, frequentiùs quàm velim vel deceat, tametsi id stylo conficiam, labi contingat; ita neque propterea debui à scribendo desistere: cùm non inuitus concedam, vt me tum quoque cum errantibus ceteris, à memetipso reprehensum existimes. Hoc te præmonitum volui. Bene vale, & beneuolus esto, amabo.

AMPVTANDVM

PVTABAM

RADIX STIRPS ET GERMEN ERRORVM.

PARS PRIMA

Qua dicti huius, *Putabam*, origo, inſcitia, & pernicies agitatur; & prudentiæ, virtutis oppoſitæ, declaratur vtilitas.

CAPVT I.

Dicti, Putabam, *origo.*

MEmoranda profectò illa Scipionis Africani ſentẽtia, non dicendum vmquam ſapienti, *Non putaram*. Quam tametſi non ſemel protuliſſe potuerit; non dubium tamen, quin illam potiſſimùm primumq́ue vſurparit, cùm occaſione errati in diſciplinam militarẽ commiſſi, turpe eſſe aiebat, in re militari tam vile velamen tam graui errori obtexere. Videlicet (vt Maximus ille Valerius inquit) quia explorato & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur ſumma ratione. Inemendabilis enim eſt error, qui violentia Martis committitur. *Valer. Max. lib. 7. cap. 2.*

Hoc autem notatu dignissimum dictum, (infami inquam charactere) *Putabam*, seu potiùs, *Non putaram*; quod Latini, vt videmus, Scipioni maiori adscribunt; Plutarchus in Græcorum Imperatorũ apophthegmatibus Iphicrati tribuit. Qui cùm aliquãdo in amicorum & sociorum agris suum haberet exercitum; nihilominus tamen vallum facere & fossam fodere voluit. Quam ob causam, cùm à quodam parum fortis & animosus esse iudicaretur, respondit: Pessimã esse Ducis vocem, dicere, *Non putaram*: significans, in rebus tranquillis interdum existere periculum, quod nullus expectasset. Aduersus inopinatos igitur casus prospexit suis copiis: ne, si quid accidisset, dicere cogeretur; *Non putaram*.

Plut. in Apoph. Græcorũ.

Sed siue Iphicrati, siue Scipioni, sapientis huius sententiæ primitias acceptas ferimus; talem esse fatendum est, quæ non solùm ab ipsis, verumetiam à pluribus aliis, citra tamen alterius æmulationem, proferri potuerit; rei nimirum indignitatem eodem prudentiæ acumine perstringentibus, eodemq; momẽto librantibus.

Quòd autem in hoc nostro tractatu, *Putabam*, pro illo ipsorum, *Non putaram*, vsurpẽ; tam parum id refert, vt quiuis vel simplicissimè eruditus facillimè videat in idẽ vtrũq; recidere. Nam, preterquã quòd vtrum-

vtrumq; ex eodem inſcitiæ & imprudentiæ fonte emergat;etiam parem in vſu loquendi vim ſortiuntur, & æqualẽ ſuo auctori ignominiã pariunt.Quid enim aliud dicis,dum inquis, *Non putaram* hoſtem tam eſſe potentem; quàm ſi dicas, *Putabam* hoſtem debiliorem? Item, *Non putaram* meum militem tam fore degenerẽ; quàm ſi dicas, *Putabam* animoſiorem? Sic etiam, *Non putaram* tam malè proſpectum ærario, armamentario, munitionibus; quàm ſi dicas, *Putabam* illis meliùs eſſe proſpectum? Nos itaque indifferenter vtriſque pro re nata vtemur; ſed tamen, primarij tituli loco, tractatulum iſtum *Putabam* nomenclatura indigetandum cenſuimus. Et quidem,vt initio diximus, prima iſta eiuſdem parte, radicem hujus ignominioſę propaginis, *inſcitiam* inquam atque imprudentiam, non tam pro meritis, quàm pro conceptæ breuitatis compendio, perſequemur: reddemuſque (quantum quidem in nobis erit) toti mundo odioſam, &, vt verè eſt, deteſtabilem; condigna prudentiæ laude attributa in vicem.

CAPVT II.

Radix opinandi & vanè putandi, inſcitia.

QVandoquidem, vt oſtendimus, Scipio ſapienti ne ſemel quidem ita errare concedit, vt in errati purgationem dicere cogatur, *Non putaram*; manifeſtè declarat, *inſcitiam*, & defectum prudentiæ in cauſa eſſe, vt quis in infamē illum ſcopulum imprudens impingat: qua ſi præditus fuiſſet, non erraſset tam turpiter, vt illud *Non putaram* ſuo errori prætexere cogeretur. Nam, vt in oratione pro Murena prudenter notauit Cicero, Temeritas cum ſapiētia non commiſcetur. Vbi ergo locum habet temeritas, neceſse eſt ibidem ſapientiam exulare. Vbi autem exulat ſapientia, non poſſunt non multi magniq; committi errores; nihilque tunc habent errones ipſi, quo ſuo pudori ac turpitudini conſulant, quàm vt ſuammet ore proprio inſcitiam prodant, dicentes: *Non putaram*.

Quocirca conformiter illi iam dictæ ſententiæ ſuæ idē Orator, Omnis, inquit, (*1. Offic.*) actio vacare debet temeritate & negligentia. Inſcitiam illam turpem æquè clarè perſtringens, quæ ex negligentia & inconſiderata agendi præcipitandique ratione ſuboritur; vt à talibus temere cuncta aggre-

aggredientibus nihil ferè vmquam præclari rectique geratur. Nihil, vt idem secundo de natura Deorum testatur, temeritate turpius; nec quidquam tam indignum sapientis grauitate & constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis *exploratum*, & *cognitum*, sine vlla dubitatione defendere. Et planè res ita se habet; siue id in agendo siue in sentiendo contingat. Quid enim similibus in vacuo aëre ædificantibus aliud effugij superest, cùm ita manifestis argumentis ipsoque contrario euentu conuincuntur, vt inficiari non possint, tametsi velint, quàm vt puerorum insensatorum more se purgēt, immo magis deturpent, dicētes, *Putabam*; vel, prout res postulat, *Non putabam*? Hinc & grauiter, & doctè, vt solet, Cato ille maior: Quid (inquit) est stultius, quàm incerta pro certis habere, ac falsa pro veris? Quapropter, auctore iterū Cicerone: Ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur & lubrica. In promtu est ratio: nam, qui ex cōsuetudine facilè cuiuis aliquid referenti vel etiam asserenti assentitur; is, tamquā in lubrico ambulans, est in lapsum procliuis; atq; in illud nimiæ credulitatis præcipitium sese ipse sponte sua inducit, dū patentibus auribus obuia quęque amplectitur. Sed de credulitatis periculis capite sequēti speciatim disseremus.

Cicero 2. de nat. Deorum.

1. Offic.

CAPVT

CAPVT III.

Nimiæ credulitatis pericula.

LEuitatis in credendo periculum ſic deteſtatur Poëta:

> *Ne citò credideris: quantum citò credere lædat,*
> *Exemplum vobis non leue Procris erit.*

Vide iſtud exemplum inferiùs, part. 2. cap. 3.

Quo autem euidentiùs nobis innoteſcat, credulitatis facilitatem, vt ſinceræ ſcientiæ ac fidelis notitiæ veritatis nouercam, ita mendacij, erroris, atque deceptionis meram eſſe atque almam matrem; audiamus D. Bernardum in libris de *Conſideratione* Eugenium Papam paternè ac ſollicitè (vt ſuum olim in religione filium) inſtruentem, & noſtri propoſiti ſcopum in puncto attingentem. Neque pigebit ipſius verba prolixiùs quoque in medium proferre; cùm ipſe non auſim propriis tãtam lucem promittere. Sic ergo, non minùs ſanctè quàm ſapienter, ſanctus ille ac ſapiens pater & doctor, poſtquam prædictum Pontificem de variis pręmonuiſſet, ſubiungit: Eſt item vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui, ex his qui cathedram aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius; quia veraciter ſingulariterque leuaſti te ſupra te, iuxta Prophetam. *Facilitas credulitatis* hæc eſt: cuius

Lib. 2. de Conſid. cap. 13.

Thren. 3.

cal-

callidissimæ vulpeculę magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ; inde innocentium frequens addictio; inde præiudicia in absentes. Ita Bernardus. Et verè res ita se habet: quis enim Iosephum insontem in extremum vitæ discrimen adduxit, nisi credulitas? Quis in sex similibus exemplis innocentes iniquo iudicio ad horrendam mortis sentẽtiam traxit, quos Muretus commemorat, nisi credulitas? *Ant. Muret. lib. 1. Var. lect. c. 12.* Quis denique tot indigna in multis hominum congregationibus facinora perpetrat, nisi calumnia machinante credulitas?

Mellifluus idem Bernardus, iisdem illis de *Consideratione* ad Eugenium libris, ostendit, quo pacto *opinio*, quæ certa scientia ac vera rei notitia destituta est; quemadmodum ex huiusmodi *credulitatis* facilitatę progignitur, ita quoque multorum ipsa deinde errorum mater efficitur, & suummet auctorẽ non minùs quàm alios decipit. Sic igitur idem sanctus disertè *Bernard. lib. 5. de Consid. cap. 2.* rem istam elucidat, *Opinio*, inquit, si habet assertionem, temeraria est; fides, si habet hæsitationem, infirma est. Multi suam opinionem intellectum *putauerunt*, & *errauerunt*. Et quidem opinio potest putari intellectus; intellectus autem opinio non potest. Vnde hoc accidit? Profectò, quia

hæc falli & fallere potest; ille non potest: aut si falli potuit, intellectus non fuit, sed *opinio*. Verus nempe intellectus certã habet non modò veritatẽ, sed & *notitiã* veritatis.

Nunc autem, prædictus sanctus & preceptor egregius, inter varia ipsius *Considerationis* encomia & laudes; sciens illam solerter ac prouidè suum cultorẽ & amatorem ab incerta illa atque ambigua opinatione, *Putatione*, & erroribus inde pullulantibus, non solùm immunem reddere, verumetiã præmeditatum, prudentem, circumspectum, & ita in rebus agendis felicem efficere; sic illam pergit Eugenio commendare & amabilem facere, prorsusque familiarẽ: Quid tam (inquit) ad omnia valens, quàm *Consideratio*, quæ ipsius quoq; *actionis* partes, benigna quadam præsumptione, suas facit; prẹagendo quodãmodo & præordinando quæ *agenda* sunt? Necessariò sanè: ne fortè, quæ & præuisa & premeditata, poterant esse proficuo; præcipitata, magis periculo fiant. Deinde sic inquit, copiosam ipsius naturę *Considerationis* laudem agglomerans: Hæc est, quę confusa disterminat, hiántia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, *vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat*; hæc est quæ *agenda præordinat, acta recogitat*: vt nihil in mente resideat aut incorreptum, aut correptione egens. Ita

Bern. lib. 1. de Consid. cap. 6.

Bernar-

Bernardus, diuinè considerans prudentis *Considerationis* naturam & efficaciam: vbi & dicit, non *fortitudinem*, sed *temeritatē* esse quemlibet ausum, quem non parturiuerit *prudentia*. Quamobrem etiam ipse Marcus Tullius hanc eamdem imprudentium hominum, temerario quodam auspicio & ausu sua ferè tentantium, oscitantiam & ignauiam ita perstringit: Nihil est à grauitate sapientis, *errore, leuitate, temeritate*, disiunctius. Et meritò: hæc enim inter se ex diametro pugnant; sapientem esse, & simul leuem ac temerarium: vt eapropter non immeritò Lipsius asserere ausus fuerit, sapientem non opinari. Quocirca, iam sæpe productus auctor, mellifluus inquam Bernardus, ita tandem proposito nostro fauentibus verbis atque sententiis Eugenium admonet, iuxta documentum Apostoli; *Manus citò nemini imposueris*. Exclusso itaque (inquit) vniuerso hoc pestilenti genere hominum (verbosulos adolescentes, inanes scientiæ, se ad Ecclesiæ gradus præsumtuosè ac temere obtrudentes, intelligit) curæ tibi maximè sit introducere tales, quos postmodum introduxisse *non pœniteat*. Turpe tibi est, sæpius retractare quod feceris; & iudicium tuum frequenter *periclitari* non decet. Diligenter proindè omne quod faciendum erit, *tracta apud te*, & cum his qui te diligūt.

Cicero 4. Acad.

Iust. Lips. Dissert. 8. lib. Manud.

1. Tim. 5

Tracta

Tracta ante factum; quia post factum *sera* Eccli. 32. *retractatio est.* Sapientis consilium est: *Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* Hactenus sanũ D. Bernardi consilium, rectum iudicium, & iusta censura, de temeritatis, credulitatis, & improuidæ mentis inscitia, periculo, & frequentibus lapsibus, cum ignominioso retractationis velamine; & contrà, de prouidæ *Considerationis* & circumspectionis encomio atq; vtilitate. Quæ omnia, iuxta primarium huius tractatus argumentum, perspicuè ostendunt, ex quàm languida & insipida stirpe, nempe inscitia, & veri rectique supina negligẽtia, exoriatur infelix & probrosum illud germen, *Non putaram*; quantaq; sit opus viro prudenti solertia, vigili cura, prudentique consilio, ad res bene præclareque gerendas. Quibus omnibus erudimur, docemurq;, quàm ignominiosum sit ipsismet errorũ auctoribus, quamque toti reipublicæ perniciosum, quando etiam in grauissimis rebus, & quidem per viros alioqui magnos, tam magnus in dies error committitur: qui semper æquè recenter, atque si primus foret, infami illo velo obtegitur; quo dicitur, vel *Putabam*, vel, *Non putabam*.

CAPVT IV.

De constanti quorumdam stultitia ab euentu *semper sua metientium, serò sapientium, & ne quidem ab* euentu *vmquam ita discentium, vt vel hilo reddantur doctiores.*

POstquam Valerius Maximus, vrbis Romæ exterarumque gentium facta simul & dicta memoratu digna, delectu facto, describēs, *temeritatem* quoque suo stylo perstrinxisset; tandem inde ad titulum illum descendens, qui est, *Quantum valeat error*, sic exorditur: *Temeritati* *Val. Max. lib. 9. cap. 9.* proximus est *error*; quemadmodū ad lædendū par, ita cui faciliùs quis ignouerit, quia non sua sponte, *sed vanis concitatus imaginibus*, culpæ se implicat. Qui quàm latè in pectoribus hominum vagetur, si complecti coner; vitio, de quo loquor, sim obnoxius. Ita Valerius. Quo loquendi modo *errorem temeritati* esse affinem testatur: & æquè grauiter lædere, & vanis concitari imaginibus; & demum ita latè *in pectoribus* hominum vagari, vt ab hoc quoque vitio non sit futurus immunis, qui illud conetur complecti, & pro meritis explicare. Paucis igitur, & quodammodo tribus digitis constringamus, quod præsen-

tis capitis argumento promittitur: quo clariùs demõſtrata tam tenax quorumdam ſtultitia, *ab euentu* ſemper diſcentium, & ſemper nihilominus in eodem errore verſantium, ipſorum nos ſaltem edocti malo, voraginem illam, omnium rectè agendorum abſorptricem, euitemus; & non ampliùs ab euentu futuro, ſed à præuijs præmeditatiſque conſilijs, ac prouidis rationibus agenda metiamur; atque (vti ex D. Bernardo didicimus) *ſic ante factum tractemus*, vt non ſit neceſſe poſt *factum retractare.*

Et primùm quidẽ ad hanc rem quod attinet, notatu indignum non eſt, quòd in Hieroglyphicis *veſpertilio inſcitiam deſignare* cenſetur, propter tenebras, quarum hoc animal cumprimis ſtudioſum cognoſcitur. Tenebræ autem hallucinari atque ita errare faciunt; atque ideo rectè inſcitiam, imprudentiam, atque ignorantiam repræſentant. Quapropter dum ſacræ Scripturæ tenebricoſum hoc animalculi genus à ſacris ſubmouent; quid aliud Hieroglyphicè inſinuant, quàm virum illũ, in quo nullum diſciplinarum aut rectæ inſtitutionis lumen effulgeat, ab Eccleſiaſticæ dignitatis gradibus arceri debere? Quid enim illi in Eccleſia, vel in vlla Republi-

Hierogl. Pierij, lib. 5.

blica, recti præstiterint, qui gaudentes erroribus, tamquam tenebræ Solem iustitiæ, & veritatis splendorem, vespertilionum & noctuarum instar, oderunt?

Numquam Phrygibus tam proprium fuit, quàm sit eiusmodi hominibus, *serò sapere*. Quod prouerbium ex vetustissima Liuij Andronici tragœdia sumtum est, quæ *Equus Troianus* inscribitur: vt & Cicero in Epistolis familiaribus illud vsurpat; In Equo Troiano (inquit) scis esse, *Serò sapiunt Phryges*. Troiani siquidem, tot tantisque iam acceptis cladibus, vix decimo tandem obsidionis anno de restituenda Helena consultare cœperunt: quam si statim initio reposcēti Menelao reddidissent; innumerabilibus sese calamitatibus subduxissent. Sic etiam, qui non nisi cum Troianis & Phrygibus serò, & vix quidem admodum serò sapiunt; quique semper æquè recenter errant, labuntur, relabuntur, falluntur, & numquam suum malum, toties nouis *euentis* repetitum, euitant: quia non præcauent, aut vmquam præcogitant, quòd *fors aliquis latet error*. Factorum quidem & errati commissi semper, vt videtur, pœnitet: sed serò; quia quod factum est, infectum fieri nequit. Et sanè tolerabilior esset hæc infelici-

Serò sapiunt Phryges.

tas; si illud quoque prouerbium, æquè atque prædictum de Phrygibus, in ipsis locum haberet, quo communiter dicitur; *Piscator ictus sapit*. Sed (quod insaniæ & emotæ mentis indicio esse videtur) isti *Putatores*, vel millies decepti & frustrati, ne sic quidem icti sapiunt.

Dementiæ autem & plusquam stultitię esse argumēto hanc toties recidiuam & quotidianam labendi, errādi, iterumque in idem saxum impingendi consuetudinem; documento sit nobis, quòd vt perelegāter, ita & peracutè Fabius apud Titum Liuium, *euentum stultorum magistrum* appellat, cùm sic inquit: *Nec euentus doceat hoc, qui stultorum magister est, sed ratio.* Si stultorū magister *euentus*, quotiescumq; non priùs sapiunt, quàm cùm re peracta ab *euentu* docētur, &, vt diximus, icti sapiunt, atque, vt in alio prouerbio est, malo accepto stultus sapit: quid aliud inde sequi dicamus, quā plusquam stultos & dementes esse, qui ne quidem icti sapiunt, nec à magistro suo, *euentu* edocti, doctiores euadunt, neque post assiduos lapsus fiunt prudentiores? Quibus an illa Poëtæ imprecatio congruat, viderint ipsi; sic enim ille canit:

Titus Liuius.

Ouid. Epist. 2. Heroid.

Exitus acta probat: careat successibus opto,
Quisquis ab euentu *facta notanda* putat.

C A-

CAPVT V.

Prouidæ circumſpectionis vtilitas di-gnumq́ue encomium.

QVemadmodum cum Phrygibus ſerò ſapere diximus, quos ſtultè factorum ſeriùs pœnitet: ita quoq; cum Athenienſibus eoſdem comparamus; qui numquam niſi in pulla veſte de pace componenda tractare conſueuerunt; tum demũ, inquam, dum clade ſuorum admoniti, multis ſuorum amicorum & ciuium bello confectis, atrati cum luctu procederent, & pacem poſtularent. Sed, ſicut tam iſti, quàm illi, tunc ſaltem intelligere, ſapere, & prudentiores fieri viſi ſunt, cùm eos ipſorum magiſter *euentus* docuiſſet: ita illos ſtultitiæ tantùm inſimulantes, inſaniæ nota iſtos inſignes cenſuimus, quos nec vllus *euentus*, nec vllus error, aut lapſus proprius erudit, aut aliena pericula faciunt cautiores. In quos illa Plinij ſententia quadrat, qua huiuſmodi feram & infrugiferam prudentiam *miſeram* vocat. Terror (inquit) & metus, & *miſera* illa ex periculis facta *prudentia* monebat, vt à Republica (erat autem omnino nulla Reſp.) oculos, aures, animos auerterent. *Plinius.*

Sed, his omissis, ad prudentes ac prouidos viros, & ad præmeditatam agendi rationem nos conuertamus. In primis, non paruo nobis ad id argumento & exemplo esse potest elephas, de quo sic
Cassiod. lib. 10. Epist. 30. habet Cassiodorus libro decimo variarum Epistolarum, Epistola trigesima, eumdem in hunc nostrum scopum intendens. *Elephas* (inquit) *tentando solùm, cautus semper incedit*; retinens, initio captionis suæ *fuisse sibi noxiam ruinam*. Procurato siquidem arte lapsu arboris, in quam dormiens elephas stando recumbit, capi existimatur. Eius itaque primi lapsus tam noxij numquã non memor, semper exinde *tentando vestigia*, prudenter ac prouidè inambulat. En igitur specimen atque Hieroglyphicum prouidæ ac circumspectæ maturitatis in rebus, præsertim magni momenti, rite gerendis. Hoc ipsum & Iani Bifrontis effigie, tametsi conficta, antiqui intendebant; quo doceret, prudenti viro tam prçterita quàm futura esse consideranda. Prudentiæ enim typum exprimentes, benç consultorum stabilitatem Hieroglyphicè significabant; duobus nimirum capitibus antè & retro spectantibus, in inuersa pyramide stante super basi quadrata. Vnde & Poëta ille, prouidi cõsilij
Persius. secu-

ſecurum *euentum adumbrans*, cui nullum ſit metuendum,ne quidem à tergo (hoc eſt, à rei ſucceſſu & fine) periculum, ita canebat:

O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit!

Huc & prouerbium illud ſpectat: Sapienti nihil eſſe nouum aut ſubitum; eo quòd, quidquid homini poteſt accidere, ſit iam præmeditatus; vt numquam ei ſit meritò metuendum, ne dicere cogatur, *Non putaram.* Porrò inſipientes iſti, & ne quidem cum ſtultis vel ſerò ſapientes; quia defectu prudentiæ(quam prouidentiam appellamus) rationes & certò ſciendi cauſas ac notitiæ veræ momenta non curant, neque certa præmiſſa conſiderant,ex quibus optatus effectus, quia ſequi conſueuit, meritò ſperari & expectari poteſt:communiter ab *euentu* omnia, more ſtultorum, metiuntur.Quodque eſt deterrimum,illo aliter quàm ſtultè ſperarant contingente, eoſque ſemper æquè recenter fruſtrante;nec ab illo quidē ſuo magiſtro,(quod ideo iteratò inculcamus)eo quē ipſi elegerant modo eos docente, vel hilum proficiunt. Vtinam ſaltem ille Lacon exemplo reſipiſcentiæ ipſis exiſtat: qui cùm aliquando ſe voto obſtrinxiſſet, quòd ſe de Leucate præcipitem daret;

conſcendit montem, & conſpecta altitudine, ſeſe auertit. Id cùm illi probri gratia obijceretur; *Non putaram*, inquit, illi voto maiore voto opus eſſe. Ioco eluſit inconſtantiæ formidiniſque crimen. Etenim qui opus arduum concipit animo, priùs optare debet animum operi parem.

CAPVT VI.

Prudentes ac prouidi Prometheo, ſerò verò ſapientes Epimetheo comparantur; æquè iuſta vtrique ratione.

QVibus ita ſe habentibus; quemadmodum ſapientes ac circumſpecti, quibus, quantum humana permittit fragilitas, & ratio ſuppetit, præmeditata ſunt omnia, Prometheo comparari meritò conſueuerunt: ita illi, vix tandem ſerò ſapientes, Epimetheo ſimiles eſſe perhibentur. Nota ſiquidem vetuſtiſſima illa fabula, de duobus illis fratribus, hoc ſaltem vtilitatis ſub confictо fabellæ velamine adferens; quòd eiuſdem intuitu, & imprudentiã iſtam, quam tantopere inſectamur, effugere, & prudentiam, quàm adeò laudamus & deprædicamus,

camus, amplecti docemur & admonemur; quam ista mente non pigebit attexere. Refertur hæc autem apud Hesiodum in hanc ferme sententiam: Iupiter iratus Prometheo, propter ignem è cælo furtim sublatum, ac mortalibus redditum, cupiensque illi vicem reponere; Vulcano negotium dat, vt è luto puellæ simulacrum quanto maximo posset artificio fingat. Id simulatque factum est, singulos Deos Deasq; monet, vt ei simulacro suas quisque dotes adiungeret: vnde & virgini illi Pandoræ nomen affictum apparet. Hanc igitur omnibus formę, cultus, ingenij, linguęque dotibus cumulatã, Iupiter cum pyxide pulcherrima quidem illa, sed intus omne calamitatum genus occulente, ad Prometheum mittit: is, recusato munere, fratrem Epimetheum admonet; vt, si quid muneris sese absente mitteretur, ne reciperet. Redit Pandora, persuasoque Epimetheo pyxidem donat. Eam simulac aperuisset, euolantibusque morbis sensisset Iouis ἄδωρα δῶρα; *serò nimiùm sapere cœpit*. Vbi Hesiodus palàm ad adagionem alludens, ait:

Accepit; tactusq; malo, tum deniq; sensit.

Aliter quidem à quibusdam hæc Pandoræ & pyxidis fabulosa fallacia

concinnatur, vt imprudenter amoto operculo, ceterisque bonis euolantibus, sola spes in reclusæ pyxidis labro hæserit, quæ amissis vniuersis sola miseris solet superesse: sed ista Hesiodi adũbratio meliùs cũ nostro proposito quadrat. Nam vt in Theogonia Prometheum vafrum nominat, ac varijs instructũ consilijs; ita Epimetheum post erratum solummodo sapientem describit. Vnde & Pindarus in Pythijs appellat istum ὀψίνοον, quasi *serò sapientem*; quod & ipsa vocabula indicant. Nam Prometheus Græcis eum significat, cui, priùs quàm rem aggrediatur, suppetit consilium; Epimetheus verò, cui, re peracta, tum demum consilium in mentem venit. Quo sensu & Lucianus, in quodam dialogo, ex comico quodã citat hunc versiculum, dictum in Cleonem, quòd serò, nec nisi confecto negotio, saperet:

Rebus peractis, est Cleon Prometheus.

Sed argumentum hoc alijs adhuc Hieroglyphicis & rationibus stabiliamus.

CAPVT VII.

Alia adhuc prudentiæ Hieroglyphica.

AD hanc prudentiæ, maturi consilij, atque oculatæ circumspectionis solidi-

liditatem ac ſecuritatem ſpectabant antiqui,quando caput Mineruæ galeatum, cum ſubiuncto pectore ſuper *quadrato ſaxo* ponentes , hac inſcriptione Hieroglyphici ſenſum indicabant:*Scientia immutabilis*;quod & quadrati lapidis figura ſignificat . Nam ſicut quadratum, quacumque verſaueris , ſemper firmum & ſui ſimile recidit:ita ſapientum conſilia & ante & poſt factum conformia ; neq; tam parum ſibi antè conſtantia , vt poſtea debeant retractari. Ita de Epami- *Apophth.*
nõda Thebano Duce narrat Plutarchus; *libro 5.*
quòd numquam ſub illo euenerit , vt *cap. 87.*
exercitum inuaderet tumultus Panicus; qui nempe præter cauſam interdum ſubitò obuenire ſolet. Id autem cauit per inſignem ſuam in rebus gerendis prouidentiam : ſecundùm cuius dictamen numquam *Putabat* ; ſed *certò ſcire ſatagebat*, omniaque, antequã euenirent , perſpecta habebat; curabatque tempori ne euenirent. Ita & de Iulio Cæſare legi- *Theat.*
mus , quòd in obeundis expeditionibus *Philo-*
numquam duxerit exercitum per inſi- *ſoph.lib.*
dioſa itinera , quin priùs locorum ſitus *5. cap.20.*
experiretur ; nec antè in Britanniam tranſuexit , quàm portus , & nauigationem,& acceſſum ad inſulã,exploraſſet.

Ob eamdem iſtam prudentiæ (vt ſic di-

dicam) oculatam tum præteritorum & præſentium, tum etiam futurorum conſiderationem, non verebatur Octauius
Libro 4. Apoph. 9. Auguſtus profiteri, ſe Romanis eum imperij ſucceſſorem relicturum, qui numquam eadem de re bis conſultaſſet; de Tiberio ſentiens. Quæ conſilij ſemel accepti ſtabilitas in eo fundata erat, quòd in conſultatione rei agendæ, etiam quæ poſtea eſſent ſecutura, antè ponderabat; vt retractare nihil eſſet opus, multoq; minùs inſulſum illud *Non putaram*.

Libro 7. Apophth. 19. Credo Thaletem illum Mileſium (cuius meminit Cicero 1. Diuin. lib. 1.) non abſimilem conſideraſſe prouidæ diſpicientiæ rationem, vt diceret, facillimum eſſe Philoſopho, ditari, ſi vellet; nam dictum hoc ſuum tali facto probauit: Omnem oleam, *antequam* florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmit. Animaduerterat enim vir prudens, præſcientia quadam, olearum fore vbertatem. Et hoc quidem dicto & facto os obturauit eis, qui iactabant, in Philoſophis paupertatem non eſſe virtutis, ſed neceſſitatis: verùm & re ipſa oſtendebat, quãta eſſet virtus prudẽtiæ ac prouidæ ſapientię in rebus omnibus ſuſcipiẽdis & peragendis; quando illa in conſiliũ adhiberetur, priuſquã ad rem ipſam veniatur.

C A-

CAPVT VIII.

Prudentiæ ac prouidæ sapientiæ virtus ac præstantia exemplis aliquot S. Scripturæ elucidatur.

QVia verò Scripturæ sacræ exempla eo plus energiæ habent, quo plus reuerentiæ ob diuinum vigorem habere solent; idcirco non contemnendum operæpretiū fore confido, si ex eo fonte nonnulla promserimus: pauca quidem, si numerum; at valde præstantia, si virtutem eorum contemplemur. Dum Iacob ex Mesopotamia vxoribus & liberis, armentis & gregibus, alijsq; locupletatus ad patrium solum reuerteretur, certisque nuntijs cognouisset fratrem suum Esau (quem iam ante annos viginti fugerat, & nunc eo ampliùs formidabat) sibi in occursum venire; timuit valde, & perterritus diuisit populum qui secum erat, greges quoque, & oues, & boues, & camelos, in duas turmas, dicēs: *Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, saluabitur*. Videant hîc *putatores*, quanta sit vsus Iacob prudentia; præsentia, iuxta *ambiguum* futurorum *euentum*, prouidè disponendo: &, si ipsis placet, in rebus gerendis

Gen. 32.

dis imitentur; vt, *Putabam*, non inueniat locum.

Quis Iosephi prudentiã ac prouidam omnium rerum etiam venturarum expendat industriã? Postquam enim Pharaoni ex præambulis eius somnijs septem annorum fertilitatem, & deinde totidem annorũ sterilitatem & famem præsagijsset: admirandum ex eiusdem prudentiæ plusquam humanæ secreto, ceu fonte quodã cælesti, depromsit consilium, tantæ tamque communi necessitati salubriter prospiciendi; adeò vt Ægyptus vniuersale totius mundi horreum ac promtuarium æstimari potuerit. Placuit (inquit S. Scriptura) Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius; locutusque est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostẽdit tibi Deus omnia quę locutus es, numquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero? Vnde etiam accidit, vt propter admirandum eius plenumque diuinæ prudentiæ consilium, *Saluator mũdi* sit appellatus. Vbi prouidè circumspecteque proceditur; non habet inuisum illud *Putabam* in rebus gerendis locum, vnde fini tamquam calcaneo laboris & actionis insidietur.

Gen. 41.

Daui-

Dauidis prudentia, cùm primùm occiso gigante allophylo Sauli cœpisset innotescere, talibus sacræ Scripturæ encomijs declaratur: Egrediebatur Dauid ad omnia quæcumque misisset eum Saul, & *prudenter se agebat*: posuitque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorũ Saul. Item: In omnibus quoque vijs suis Dauid *prudenter agebat*, & Dominus erat cum eo. Item: *Prudentiùs se gerebat* Dauid quàm omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius nimis. Prudentia, prouidaq; scientia, ac circũspectio illi in vsu erant: & quamdiu cogitatus & actus suos incerti euentus ludibrio (quod *Putantium est*) non exponebat, non peccabat. 1.Reg. 18.

Si muliebris quoque sexus exempla requirimus; Saram, Rebeccam, Rachelem, Estheram, Iuditham, & Susannam cõsideremus, vt septem Machabæorum *prudentem* matrem omittamus, de qua sic in sacra historia legimus: Supra modum autem mater mirabilis, & bonorũ memoria digna, repleta *sapientia*; & feminеæ cogitationi *masculinum animum inserens*. Susannæ *prudentiam prouidámque* rerum omniũ circumspectionem (quod scopum nostrum in puncto attingit) pe- 2. Mach. 7.

Dan.13. nitiùs contemplemur. Dum enim ab impuris iniquiſque iudicibus ad illicita ſollicitaretur, videretque vel ſibi in indignum hoc facinus condeſcendendum, vel certam mortem expectandam; ingemuit quidem præ rei tam ſubitæ tamque perplexæ ancipiti ſtatu, & arduam dubiamque negotij molem voce conteſtans, dixit: Anguſtiæ mihi ſunt *vndique*; ſed rem *prudenter* ex vtraque parte conſiderans, dixit: Si enim hoc egero, mors mihi eſt, mortiferè pecco, ipſoque facto rea mortis efficior; ſi autem non egero, ſi vobis in malum aſſentiri noluero, non effugiam manus veſtras: quia, ſicut minamini, velut adulteram traducet is, teſtes ipſimet futuri & iudices. O prouidã Argi oculis circumſpectiorem prudentiam! Quid egit? quid reſoluit in tam oculato & quaſi circumradiantibus cæli ſideribus illuſtrato tribunali? Melius eſt (inquit) mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Vbi hîc vel leue veſtigium tam inſulſi & infamis *Putabam?* Citiùs in ſcirpo nodum, vel potiùs in medijs flammis aquam inueneris.

Dicito nunc inquam mihi, quiſquis tam vilibus funeſtiſque *Putaminibus* aſſue-

suevisti; vbinam hîc in omnibus istis exemplis innumerorũ similium instar prolatis *Putabam* inuenies? vbi vel minimum eius indicium? vbi tam venenatæ pestis vestigium? Immo dic nobis, qua non parte exclusa est omnis tam infaustę *putationis* occasio? Quid illic inuenias, quod errori, sinistro euentui, & pudibundo illi *Putabam* velamini fomitem daret? Prudenter, circumspectè, & prouidè sua agenti, non est quòd ad velamentum istud recurrat; quod velando, tegendo, excusando per *Putabam*, ignominiam latentem reuelat, & hoc ipso manifestiùs prodit magisque deturpat. Nam qui dicit, *Putabã*, vel, *Non putabam*; testatur ipse de se, quòd non solùm imprudenter & oscitanter, sed etiam insipienter, fatuè, & stolidè egerit. Vnde fit, vt communiter eiusmodi oscitabundi supinique errones post factum dicant: Quis hoc vmquã cogitasset? quis hominũ tale quid expectasset? quis credidisset? quis vmquam somniasset hoc posse accidere? Hinc Plato prudẽter admodũ, *Apopht. Lycosth.* hanc talium hominum somnolentiam & sopitam imprudentiam prodens, *spem vigilantium somnum appellabat*; quia, dum quasi dormitabundi & somniantes sibi varia vana pollicentur, putant, computant, disputant, reputant, & secum sup-

putant;sed quia interim,quod rectę prudentię,rationis,& prouidētiæ est,negligunt, spe & *putatione* sua frustrantur: & cùm mira delirando somniarint, atque aliter euenit; tunc quasi præ inopinato euentu stupefacti,& veluti ex profundo somno expergefacti, dicunt: Quis vmquam hoc somniasset? ad quod ipsi, nimirum amore sui inanis voti toti præoccupati, & in transuersum acti, non collineabant, dum ita somniabant. Ad quod allusisse quoque videtur Virgilius, cùm ita ait:

Ecloga 8. ——*An, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

Huius vanę pollicitationis quasi in somnis conceptæ, & per continuata deinde somnia spe vana lactatæ, adumbrauit nobis valde ad viuum Dominus in Euangelica illa parabola per Lucam *Luc. 12.* descripta: Hominis cuiusdā diuitis vberes fructus ager attulit, *& cogitabat intra se,* dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc cōgregabo omnia quæ nata sunt mihi,& bona mea, & dicam animę meæ:Anima,habes multa bona posita in *annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repe-

repetunt à te: *quæ autem parasti, cuius erunt?* addi potest, & quæ somniasti, quò euadent?

Partis primæ conclusio.

QVæ cùm ita sint: nónne est admiratione dignissimum, reperiri homines tam ab omni ratione sensúque communi alienos, qui *putare*, opinari, & existimare semper malint, quàm certa prouidáque sapientia rem complecti? qui, stultorum more, semper ab incerto periculosoq; ac prorsus fortuito *euētu* pendere eligant, quàm secundùm sapientum præmeditatam procedendi rationem se comparare? immo qui nec millies spe tali frustrati, ab eadem *temeritate* & puerili *putandi inscitia* dimoueri se sinunt? quid aliud de hoc hominum genere dicas, quàm quod Propheta Ieremias de similibus sui temporis apud Dominum lamentabatur? Percussisti eos (inquit) & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere *disciplinam*. Atque expēdens secum Propheta, ac quasi apud semetipsum rem tam indignam recogitans, ita prosequitur: Ego autem dixi: forsitan pauperes sunt & stulti, ignoran- *Ierem. 5.*

tes viam Domini,iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudiciũ Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt iugum,ruperunt vincula, &c.

Ita igitur Propheta de præuaricatoribus legis & iudiciorum Dei, non solùm pauperibus, plebeijs,& ignaris hominibus, quos stultos appellat, verumetiam de optimatibus, peritis in lege,& aliorũ gubernatoribus; qui non secundùm diuinę legis decreta ius fasque decernunt, aut iuxta rectæ rationis dictamen in rebus bene gerendis modoq; viuendi procedunt, sed deprauatam suam agendi cõsuetudinem ac voluntatem sectantur. Communis est itaq; nobis cum Propheta sententia & querela: quòd nempe non solùm vulgaribus hominibus in vsu sit numquã *scire*, sed semper *putare*; & *putando*, ex errore in errorem deuolui quotidie, & numquam ex lapsu sic sapere, vt à toties iterato periculo sibi caueant; verũetiam primatibus, & magistratibus, aliorumque rectoribus hanc inscitiam & detestandam *putandi* contagionem esse communem, nimisque domesticam. Quæ proculdubio tanto maiori cum pondere & momento Reipublicæ officit, grauiusque damnum parit;

parit; quanto manifestiùs à rerum Præfectis & capitibus Reipublicæ vel certa prosperitas vel pernicies pendet. *Quapropter*, quò magis hoc pestilens *putandi* vitium odiosum reddamus (qui primarius totius tractatus est scopus) varia & ferè omnis generis *errorum* exempla ob oculos ponemus; qui ex virulenta hac radice, quasi pessima germina, infeliciter progignuntur. Qui plura fortassis desideret, illa in suo hortulo quotidie, ad horum quæ dabo similitudinem ac specimen, diligenter requirat; & fortassis vberiùs pullulantia est inuẽturus quàm vmquam *putasset*; dum multa *putando*, hoc ipsum non *putauit*. Nec ego siquidem ista ita conscribenda suscepi, quasi me ab isto *Putabã* immunem existimem, cùm primum illius persequendi instinctum ex frequentibus meis erroribus sumserim: sed vt in me æquè atque in omnibus alijs, quantum quidem liceret, illud ipsum pessumdarem.

PARS SECVNDA

QVA

Putandi errores, vt malæ radicis infelicia germina, per exempla deteguntur.

CAPVT I.

Error generis.

ERrorem hîc generis appello; quãdo quis ſe alicuius proſapiæ eſſe *putat*, vel ab alijs *creditur*, cuius verè non eſt. Fingentes aſtu quodam ſe eſſe, maioris lucis gratia, adiungemus.

Moyses, & filia Pharaonis.

Exodi 2. QVanto tempore paruulus & inexpertus erat Moyſes, *putabat* ſe filium eſſe filię Pharaonis; eo quòd illa ex aquis acceptum in locum filij adoptaſſet; ſed grandis factus, & rei veritatem comperiens, negauit ſe eſſe filiæ Pharaonis filium, atque illo ſe iure abdicauit: magis *Hebr. 11.* (vt inquit Apoſtolus) eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.

Nullus hic, aut certè inculpabilis error

ror Moysi fuit; in re tamen & opinione error erat: quem si secutus fuisset, videre est ex iam dictis à Paulo, & quantis se diuinis thesauris ac prærogatiuis spoliasset, & quantis se cum Ægyptijs, atque adeò cum ipsomet Pharaone, immersisset dispendijs, ratione videlicet expectatæ regiæ hereditatis & regni. Hæc autem vniuersa euasit & superauit, prius illud & præmaturum puerile *putare* scienter prudenterque emendans prouida maturaq; secuturorum *prospectione*. Adspiciebat enim (inquit idem Apostolus) in remunerationem. Fide siquidem (hoc est, iam credens, videns, prospiciens quomodo Deus fidelẽ suum populum, & ipsum peculiariter esset remuneraturus) Moyses grandis factus, negauit se filium esse filiæ Pharaonis; adeoque nec voluit eius adoptiuus fieri, ac diuina illa promissa temporalis hereditatis vmbræ postponere. Aspiciebat fide sincera (quæ credentem haudquaquam fallere potest) in remuneratorem, qui nimirũ pro derelicto terreno regno regnum erat daturus æternum in cælis: & quòd pro afflictione, quam erat temporaliter cum verè sui generis contribulibus perpessurus, & pro Christi improperio, quod ipse in se erat toleratu-

 rus,

rus, æternam ab illo omnium remuneratore Deo esset iucunditatem, felicitatem, & gloriam adepturus in cælis.

Cambyses, & Smerdes.

Bapt. Fulg. lib. 9. cap. 16.

CAmbyses, Persarum Rex, Smerdem quemdã, insignem magum adspexit vt fratrem; eo quòd & nomen & vultus similitudo eumdem ad viuum exprimerent: dumque errorem *putandi* nec satis detexit, nec satis cauit, iam regno exutus erat, seque illo Smerdes vestiuerat; quietusque possedisset, nisi fraus per Othonis filiam detecta fuisset, deprehensusque Smerdes iste, auriculis priuatus, non esse is, qui fuerat creditus. Felicior itaque dicendus fuisset Cambyses quàm prudentior; qui fallaci *Putabam* plus æquo confisus fuit.

Siculus quidã anonymus, & Prætor Romanus.

Val. Max. lib. 9. cap. 16.

PRoconsul quidam Romanus cùm Siculum quemdam, ob quam nescio causam virgis securibusque subiectum, sui quàm simillimum animaduerteret; diceretque mirari se, quapropter sui tam similis esset, cùm pater suus in eam prouinciam numquam accessisset: At meus (inquit ille) Romam frequenter accessit. Ioco quidem audaciore, quàm talem homi-

hominem eò loci constitutum decebat, lacessitam matris suæ pudicitiam inuicem suspicione in matrem Prætoris reiecta, vltus est: sed interim tamen verè, tam ancipiti retortione, rem fecit ambiguam; vtrùm ipse vel ex patre, vel ex matre Proconsulis, eius saltem aliquo modo vel vterinus, vel germanus esset frater. Et tametsi inualidum sit nulliusque soliditatis argumentum, quod à formæ vel morum similitudine sumitur, existimentque nonnulli subtiliùs, quàm veriùs, formam & physiognomiam origini & contextui sanguinis respondere, argumentum ex ceteris animalibus trahentes, quæ ferè gignentibus similia nascuntur; atque alij ex aduerso negent hanc esse naturæ legem, vt verè non est; tamen, bene inquit Valerius Maximus, quæstio ista in ambiguo versatur, manetque semper in incerto determinatio; an verè tales, vel tales, tam vel forma, vel moribus similes, eiusdem sint generis. A quacumque enim parte sumatur, aut vnum aut alterum existimandi, substãtia; non alius est illa stabilitatis, quàm instabilis illa & fallax *putandi* lubricitas solet suppeditare.

Herophilus, & C. Marius.

Val. Max. lib. 9. cap. 16.

HErophilus Equarius, medicus, C. Marium septies Consulem, *auum* sibi vendicando, ita se extulit, vt coloniæ se veteranorum complures, & municipia splendida, collegiaque ferè omnia, patronum adoptarent. Quinetiam, cùm C. Cæsar, Cn. Pompeio adolescente in Hispania oppresso, populum in hortos suos admisisset, proximo intercolũnio penè pari studio frequentiæ salutatus est; quòd nisi diuinæ Cæsaris vires huic erubescendæ procellæ obstitissent, simile vulnus Respub. accepisset, atque in Equitio acceperat. Ceterùm decreto eius extra Italiam relegatus, postquam ille cælo receptus est, in vrbem redijt, & consilium interficiendi senatus capere sustinuit: quo nomine, iussu patrũ necatus in carcere, feras prompti animi ad omne moliendum scelus pœnas pependit.

Fictitius Octauiæ filius.

Ibidem.

ITa quidam Octauiæ sororis Augusti vtero se genitum fingere ausus fuit, suoque loco à nutritio alium fuisse suppositum; videlicet, vt ita penates & veri sanguinis memoria spoliarentur, & falsi sordida contagione inquinarentur. Sed cùm

cùm plenis impudẽtiæ velis ad sũmum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti, remo publicæ triremis affixus eſt.

Varij fictitij & putatitij filij, &c.

NOnne ita quoque repertus eſt, qui ſe Q. Sertorij filiũ diceret? Nónne quidam, Cornelio Sylla Republica potiente, in domum Cn. Aſſidionis irrupit, filiumque eius patrijs penatibus expulit; vociferando, non illum, ſed ſe Aſſidione eſſe procreatum? ſed iuſtiore Principe obtinente Rempublicam, in publica cuſtodia ſpiritũ poſuit. Nónne ita & Mediolani pro Rubria ſe quędam obtruſit, nihilque ad ſe pertinentibus bonis inſeruit; nec ei aut tractus illius ſplendidi teſtes, aut cohortis Auguſti fauor defecit: ſed inexpugnabilis Cæſaris conſtantia irritam nefarij propoſiti reddidit. *Ibidem.*

Admonitio.

ERroris iſtius & ambiguitatis *generis* occaſione, quis vel verbis declaret, vel opinando aſſequi valeat; quot quantæque quotidie difficultates oboriantur in rerum humanarum commercio, tum priuatim, tum publicè, ex nefanda illa furtiuæ libidinis, & generis, ac ſanguinis, fortunarumq; commixtione? Dum

nimirum & cuculus oua sua in alieno nido fouẽda reponit,& perdix ignara fouet atque excludit, quæ nõ peperit: & suppostitij adulteriniq́ue fœtus legitimis contra fas omne commiscentur; immo quandoque per præcellentem in exteriori specie prærogatiuam, genuinis spurij prædominantur. Nunc autem,quia nec *error generis*,nec incommoda, tum priuatis familijs, tum ipsi quoque Reipublicæ inde emergentia, turbato clàm rerum statu internosci vitariq́ue possunt(quis etenim tam obscura dilucidet, tam confusa discernat?)vaga illa promiscuaq́ue adulterorum libido strictissimis esset repagulis coërcenda,ac penitus exigenda. Dum enim spurij legitimis immiscentur, parens adulter ad restitutionem tenetur legitimis, tamquam veris heredibus, pro illa portione, quam illegitimi cum illis in eadẽ familia partiuntur: præter alia, ad quæ idem obstringitur. Iam verò quis,quóve modo id exequatur? quod tametsi doctorum peritorumq́ue consilio non est impossibile, quàm difficile tamen existat, nemo non videt. Vnde & fraudes innumeræ, nec in hoc neque in futuro sæculo expiandæ,quotidie committi,est valde pertimescendum.

CAPVT II.

Error coniugij.

ERrorem cõiugij intelligimus, quando non solùm alter coniugum cum alio contrahit, quàm *putabat*; vel alius ei supponitur, quàm cum quo cõtraxit: verumetiam quando coniugalem, vel eò spectantem insignem actum exercet in alium, quàm *existimabat*, velut etiam in coniugem, alium *credens*: quod exemplis dilucidiùs explicabitur.

Iacob, Rachel, & Lia.

PAtriarcha Iacob in Mesopotamia Labano auunculo suo septẽ annis seruiuit pro Rachele filia eius ætate minore, sed pulchra valde: & expleto nuptiarum conuiuio, vespere Laban pro Rachele Liam introduxit in thalamũ. Iacob verò rem non deprehendente, nisi cùm facto manè pro Rachele Liam inuenit; dixit ille ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nõne pro Rachel seruiui tibi? quare *imposuisti* mihi? Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. Quo iure hoc fecerit Laban, quídve de hoc dolo sentiendum, nihil hîc moueo; id enim à Gen. 29.

scopo

ſcopo meo alienum; ſed tantùm *erroris coniugij* exemplum profero; quod in eo conſiſtit; quòd Iacob *putabat* ſe habere Rachelem, quam duxerat, & habebat Liam.

Admonitio.

ITa quis æſtimet quàm ingens ſit error, quando alter contrahentium ſe cum libero, cum nobili, vel cum tali taliue perſona contrahere *putat*; & contrahit cum ſeruo, cum ignobili, cum prorſus inope, vel magni momenti ſecreto defectu laborante, immo prorſus cum alia perſona quàm *exiſtimabat*? Adeò vt eiuſmodi quidam errores tales eſſe poſſint, qui non ſolùm matrimoniũ impediant contrahendum, ſed qui etiam dirimant iam contractum. Quapropter, cùm grauiſſima ex eiuſmodi fraude ac malo dolo, tum inter hos coniuges eorumque familias, tum in politia Reipublicæ, incommoda oboriantur; manifeſtum euadit, ſeueriſſimè contra hoc genus impoſturæ procedendum; & ſanctum honorabilis coniugij Sacramentum ab hoc iniuriæ monſtro rigidioribus pœnis vindicandum. Ita enim diuinum hoc inſtitutum per impurorum ſpurcitias, fraudes, furtiua connubia, & mutui tori ince-

inceſtationes infectum,contaminatum, & adulterina commiſtione confuſum eſt; vt ſtrictiſſimis legum compedibus & neruis veniat illa luxuries comprimenda, immo totius orbis Chriſtiani limitibus exturbanda:ne ita diutiùs & diuini iuris & humani, & priuati & publici ſtatuta confundat; vt neſcias quos habeas tecum in eadem familia bonorum conſortes & coheredes,neque in Republica legitimos ciues, & munerum publicorum debitos ſucceſſores,inuiſa illa *putandi* leuidenſa omnia inuoluente.

Mithridates, & Monyme Mileſia.

ERat olim Mithridati,Regi Pōti,pellex, cui nomen Monyme Mileſia: Rege eam aliquando ſollicitante, miſſiſq; ad eam quindecim aureorum millibus; eouſque obſtitit, dum *nuptiarum ſponſalia* fierent, miſſoque ad ſe diademate *Reginam ſalutaret*. Itaque Rex ipſe certo circumuentus errore,quam pellicem libidiniſque mancipium habere *putabat*, vxorem & dominam coactus accepit. Neque tamen ipſa minorem talis coniugij errorem experta eſt; cùm poſtea non ſemel corporis ſui pulchritudinem deplorauit, quæ ſibi pro *marito tyrannum*, pro nuptijs & domo præſidiū *Plutar. in Lucull.*

bar-

barbarorum conciliasset: quodque procul à Græcia submota nescio quò, atque relegata, speratis quidē illis bonis quasi *per somnium* frueretur; *veris* autem illis esset *orbata*.

Tandem porrò Bacchide, Regis emissario, ad illam veniente, imperanteque vt illa sibi mortem, quàm vellet, inferret facillimam; detractum illa capiti diadema aptauit collo, & sese suspendit. Cùm autem protinus rumperetur: O execrande panne (inquit)! ne ad hoc quidem mihi futurus es vtilis? atque illo proiecto consputoque, Bacchidi iugulum feriendum præbuit.

Admonitio.

QVemadmodum admirandæ, multæ, nec minùs variæ sunt aliquando contrahendi coniugij occasiones & causæ (tum per insanum amorem, quasi œstro percitos instigantem; tum per vrgentem inopiam ac desperationem; tum vt morosorum parentum excutiant iugum; tum etiam non rarò, quòd ex præmaturo Veneris vsu fœtus cōceptus perurgeat, vt honestati, si non priuatæ, saltem iam publicæ consulatur, &c.) ita quoque stupenda & multiplicia in dies videntur audiunturque incommoda & feralia

feralia euenta ex coniugijs maleominatis, nec bono modò, nec meliore fine frequenter contractis; adeò vt suspendium illis loco solatij sit, præ erroris commissi & immedicabilis intolerantia.

Oedipus, & pater, & mater.

ERrori tum generis, tum coniugij exẽplo futurus est Oedipus; qui cùm esset filius Laij, Regis Thebarũ, & Iocastæ, se Polybij Corinthiorum Regis filiũ *credidit*; eo quòd iussu patris à matris vtero in siluas abiectus, à quodam pastore, eius miserto, ad Regẽ Corinthiorum delatus, & ab eodem pro filio habitus fuerit: vnde & postea tandem in patriam reuersus, incognitum patrem occidit. *Error* verò *coniugij*, qualiscumque, non exiguus ille fuit; quando propriam matrem ignarus vxorem duxit, & Thebis regnauit. *Chil. 1. centur. 7.*

Admonitio.

QVis nobis hic Oedipus explicet, vel leui saltem coniectura perstringat, quot nefandæ commistionis & initorũ nescio quo profano ritu coniugiorum monstra aliquando nata fuerint & regnarint in mundo? quæ cùm rerum potiri contingit, ordinem vniuersum per-

uertunt;eo quòd nullo bono ordine vel ſunt,quod ſunt;vel,quod obeunt,gerũt.

Semiramis, & filius.

Lucul. lib.1.

QVare non & Semiramis adiungatur, impudiciſſima mulier? quæ nefandiſſimum toro coniugali errorem ſeu potiùs nequitiam inuexit,& pudoris iuriſque ordine eliminato, vniuerſa commiſcuit. Hæc ſiquidem & libidine ardens,& ſanguinem ſitiens,omnes, quos ſuo concubitu oblectarat, occidebat: vtque priuatam ignominiam publico ſcelere tegeret; præcepit, vt nulla inter filios & parentes diſcretio, *quoad coniugium*, ſeruaretur. Tandem, cùm eò inſaniæ deueniſſet, vt proprij filij concubitum, quaſi monſtruoſum connubium, expeteret; potiùs ille ſibi necandam matrem iudicauit, quàm tam immane flagitium admittendum.

Admonitio.

BOnę Deus! quis nefandos inceſtus, adulterina commercia, ſacrilegos toros, parricidia, & eiuſmodi ſcelerum horrenda prodigia, quotidie emergentia numeret; quæ ex multifario coniugiorum exoticorum & pluſquam barbaricorum errore committuntur? Exoriare aliquis tantorum monſtrorum domi-

domitor Hercules; vt sciant & intelligant gentes, quòd homines sint.

Iulianus Hospitator.

SVb erroris coniugij signis & Iulianus, cognomento Hospitator, centuriari certa de causa poterit, vt audiemus. *M. Marul. lib. 4.* Cùm enim aliquando summo manè domum reuersus, in suo vxorisque cubili dormientes offendisset parentes; *putauit* vxorem esse cum adultero, & educto repentè gladio, ambos transfixit: vxor autem, antequam ille aduenisset, ad Ecclesiam perrexerat. Re tandem cognita, vbertim fleuit; vtque commissi veniam posset promereri, relicta domo, prope fluminis ripam, vbi multi vado transeuntes deperibant, xenodochiũ posuit, & viatores tecto excipere, & nauicula transuectare gratuitò, cœpit: vnde & Hospitatoris cognomen obtinuit.

Admonitio.

ERror iste non obscurè alium errorem adumbrat, qui frequenter admittitur, vt verè adulter in coniugis cubili deprehendatur, & quidem cum coniuge, neque interimatur; sed scienter & sponte ad execrandum hoc scelus conniueatur; & maritalis tori violator honoretur, colatur, & (proh nefas!) ad redi-

tum, quotiescumque lubuerit, inuitetur. Itáne igitur venum prostituitur thalamus coniugalis, & lapides tacent?

Fredegunda, Gallorum Regina.

Fulgos. lib. 9. cap. 9.

QVanta etiã mala pepererit Fredegũdæ, Gallorum Reginæ, error, exemplo patebit. Cùm enim à Childerico viro (qui citiùs, quàm antea consueuisset, à venatione reuersus erat) post tergum, velut à blandiente, virgula tangeretur, dum inclinata se lauaret; *arbitrata* ipsa id ab adultero Landrico sibi factum fuisse (quia virum suum necdum rediisse *putabat*) eum nomine amantis compellauit. Sed, vt conuersa, errorem animaduertit; verita ne vir crimen vlcisceretur, quod iam detectum esse videbat, ne ipsa moreretur, viri mortem procurauit. Itaque prior ille coniugij error, in plures grauioresq; errores induxit. Quis vel diuinando assequatur calamitates, quæ etiamnum ex errore coniugij tam spontaneo, quàm casuali, exoriantur?

Theodosius, & vxor eius.

Sozom. lib. 5. Niceph. lib. 14. cap. 15.

POssit & animi gratia, sub *erroris coniugij* titulo, & ille Theodosij iunioris error talis qualis adscribi: qui, tametsi non ita ad rem primariã faciat, eamdem tamen suo lepôre concinnabit. Cùm il-

le

le namque remissior esset in rebus imperij administrandis; adeò, vt libellis supplicibus haudquaquam inspectis subscriberet, neque à sorore sua Pulcheria, imperij consorte, admonitus resipisceret; astu illum pulcherrimè elusit. Syngrapham enim illa confecit, qua Theodosius asserebat, se Eudoxiam *vxorem suam* Pulcheriæ sorori suæ vendere; ita vt sui iuris ampliùs non esset, sed tota in potestate Pulcheriæ. Oblatæ per quemdam syngraphæ Imperator more suo per incuriam subscripsit, redditaq; mox illa sorori. Accidit paulo pòst, vt Eudoxia ad multam noctem cum Pulcheria in cubiculo ipsius, de industria, detineretur. Imperator mandat accersiri: sæpius vocatam neque venientem iubet adduci. Ibi soror mittit, qui diceret, se mirari valde hæc ab ipso fieri, quando sciret quid inter vtrumque per cautionem non ita pridem fuisset transactum. Demiranti verò & hærenti, An non, inquit, hoc tuum chirographum? Nónne tua *coniux* mihi abs te vendita? negare non potes; inspice scriptum, agnosce manum. Hîc Imperator erubuit, placidéque admonitus, posthac se cautiorem fore, seriò promisit.

Admonitio.

IN Theodosio quidem notabatur ac corrigebatur tam supina rerum gerendarum (summi præsertim gubernaculi) oscitantia; vt etiam vxorem ignarus diuenderet: sed nihil vetat, eadem occasione animaduertere, tam viles, neglectas, & abiectas esse quibusdam viris suas vxores, vt iam non cum Theodosio per errorem, sed etiam lubentes, & data opera, & quidem gratuitò, easdem, si fieri posset, distraherent. Iudicet æquus & peritus talium mercium æstimator, vel quàm sincerus fuerit ille amor, quo primùm illas sunt prosecuti, & duxerunt; vel quanta cum gratia illas deinceps habuerint. Indignos ego omni prorsus mulieris consortio censeo; qui, quas duxerunt, tam viles habent. Ab initio non fuit sic, inquit Dominus, de matrimonij casti integritate & tori coniugalis sincera fidelitate differens: neque verè ea est tam sancti instituti conditio, qua communiter vel iniri vel seruari animaduertitur.

Matth. 19.

CAPVT III.

Error personæ.

QVia in proximè præcedenti argumento, nimirum *errore coniugij*, quędam relata fuerunt, quæ etiam cum *errore personæ* magnam habent affinitatem; vt controuerti possit, num potiùs sub hoc titulo reponi debuerint: idcirco *personæ errorem* è vicino subiungendum existimaui, vt iure vicinitatis & affinitatis sibi mutuo suffragentur.

Error autem personæ nobis hîc iudicatur, quando quacumque in re persona illa reuera non est, cum qua nobis negotium; quam esse *arbitrabamur*: sicut superiùs in Fredegunda Gallorum Regina ostensum est; quæ amasium suum esse *putabat*, qui eam à tergo per iocum virgula tangebat, & erat maritus: vt in quibusdam alijs iam dictis exemplis est animaduertere, *errorē* quoque *personæ* interuenisse; sed cur inter coniuges error ille accidebat, sub *errore coniugij* recensuimus.

Lamech, & Cain.

SAluo dilucidioris historicæ veritatis iudicio, similis esset *error personæ*, qui Lamech accidisse à quibusdam narratur, cùm sacræ Scripturæ contextus id Gen. 4.

non ita diſertè recenſeat. Dum ſiquidem ob longum ſenium videndi vſum amiſiſſet, & ingẽs venator fuiſſet, ſagittandiq́; peritiſſimus; in venationem duce puero profectus, cùm inter arbuſta motum quemdam ſenſiſſet, *arbitratus* illic feram latêre, deduci ſe eum locum verſus, eamque in partem dirigi ſagittam curauit: quam cùm in feram, vt *putabat*, emiſiſſet; Cain, affinem ſuum, miſerè occidit; qui præ dolore repulſæ à Deo perpeſſæ in inſaniā pene delapſus, vitato hominum conſpectu, ſiluas habitatum ſe mœſtus & extorris contulerat.

Cephalus, & Procris.

Metamor. lib. 7. fab. 28. PRæcedenti hiſtoriæ illud Ouidij Metamorphoſeos ad amuſſim quadrat, vbi, more poëtico, fingit Cephalum vxorem ſuam Procridem pro fera iaculo confixiſſe. Cùm enim ille ſubinde *auram* refrigerandi gratia inuocare ſueuiſſet; vxor *putans* eum nympham aliquam aduocare in coniugalis tori iniuriam, in virgultis ſe recondidit: vt inde ſpecularetur, an eſſet aliqua, *Aura* nomine, cuius ille cupiditate impulſus, à ſe alienaretur. Cephalus autẽ procul ſpeculans moueri virgulta, dum ibidem la-

têre feram *existimat*, iaculo emisso, *coniugem imprudens* interfecit: itaque teli vim, quod ipsa marito ob iram *Auroræ* dederat, maximo cum ipsius viri luctu experta est. Poëtæ autem versus id describentis sic habet:

Fronde leuē rursus strepitū faciente caduca,
Sum ratus *esse ferā; telumq; volatile misi.*

Ecce duplicatum triplicatumque videmus in hoc euentu *putabam*: ita incredibile est, quot quantasq; pariat in coniugio difficultates suspicio, & in facilè iudicando temeritas.

Gualterus Tirellus, & Guillelmus Britanniæ Rex.

Similis satis prioribus ducbus est & ille error, qui Gualtero Tirello, Britanno, dicitur accidisse. Is namque dum venaretur, *arbitratus* se telo ceruum petere, Guillelmum secundum Britanniæ Regem, cognomēto Rufum, patruelem fratrem occidit. Casu quidem sic accidit; sed tamen, dum *putat* feram ferire, Regem confixit, & interemit. *Bap. Ful. libro 9. cap. 9.*

Tiberius Cæsar, & Rhodius quidam.

Ita quoque infaustum illud *putabam* Tiberium impulit, vt amicū pro hoste confecerit. Dum siquidem per tormen- *Bap. Ful. libro 9. cap. 9.*

 ta dis-

ta disquisitionem quorũdam haberet, vt causam mortis Drusi filij sui cognosceret, intereaque temporis ipsi significatur, Rhodium quemdam, ipsius amicum, quem etiã per litteras euocarat, aduenisse; errore factũ est, vt id intelligeret, tamquam si aliquis ei denuntiatus foret, vel sceleris reus, vel cuius *persona* ad totam rem, quæ inquirebatur, detegẽdam esset aptissima. Itaque statim comprehendi & torqueri curauit. Cùm autem *errorem* deprehendisset; ne tam iniustè cum amico egisse homines intelligerent, priori errori crudeli addito facinore, suffocari Rhodium amicum iussit. Ecce quàm pestilens fœtus ex illo nefando *putamine* subinde progignitur.

Iulius Mansuetus, & filius.

Bapt. Fulg lib. 9. cap. 8. VLtimo Otthonis prælio aduersus Vitellium, cùm Iulius Mansuetus, miles Hispanus, pro Otthone aduersus Vitellianos dimicaret; in medio prælij ardore à proprio filio est interemtus, qui in Vitellianorum parte erat. Cumque postea veluti hostem eum spoliaret; non sine immenso dolore deprehendit, illum patrem suum esse, tamque sæui facinoris causam *errorem* fuisse: vtque proposito nostro couenientiùs dicamus, inuenit

uenit causam erroris fuisse *non putaram.*

Mutius Scæuola, & Porsena.

PRoprijssimum istud quod sequitur est argumenti præsentis exemplum. Cùm enim olim Mutius Scæuola Porsenam, Hetruscorum Regem, vrbem arctissimè obsidentem, in ipsius castra ingressus, occidere *putauit*; alium, Rege ipso splendidiùs fortasse vestitum, pro Rege peremit. Error in eo consistebat; quòd *putaret* illum esse Regem. *Val. Max. lib. 3. cap. 3.*

Agesilaus, & Xerxes.

AGesilaus, Themistoclis filius, Atheniensis, errorem personæ errori Scæuolæ similem prorsus commisit; vnde & istud à Plutarcho in Parallelis, cum exẽplo Mutij Latini, Græcũ exemplum confertur. Is siquidem Agesilaus in castris Xerxis, Mardonium quemdam de Regis stipatoribus, *Xerxem ratus esse*, interfecit: comprehensusque, dexteram igni iniecit, dicens: Tales sunt omnes Athenienses; in hoc quoque fortissimi viri facinore cum Mutio Scæuola componendus. Error autem proposito nostro subseruiens in eo erat; quòd *putaret* illum esse Regem Xerxem, & non erat. *Plutarc. in Parallelis.*

Adme-

uertunt;eo quòd nullo bono ordine vel ſunt,quod ſunt;vel,quod obeunt,gerũt.

Semiramis, & filius.

Lucul. lib. 1. QVare non & Semiramis adiungatur, impudiciſſima mulier? quæ nefandiſſimum toro coniugali errorem ſeu potiùs nequitiam inuexit,& pudoris iuriſque ordine eliminato, vniuerſa commiſcuit. Hæc ſiquidem & libidine ardens,& ſanguinem ſitiens,omnes, quos ſuo concubitu oblectarat, occidebat: vtque priuatam ignominiam publico ſcelere tegeret; præcepit, vt nulla inter filios & parentes diſcretio, *quoad coniugium*, ſeruaretur. Tandem, cùm eò inſaniæ deueniſſet, vt proprij filij concubitum, quaſi monſtruoſum connubium, expeteret; potiùs ille ſibi necandam matrem iudicauit, quàm tam immane flagitium admittendum.

Admonitio.

BOnę Deus! quis nefandos inceſtus, adulterina commercia, ſacrilegos toros, parricidia, & eiuſmodi ſcelerum horrenda prodigia, quotidie emergentia numeret; quæ ex multifario coniugiorum exoticorum & pluſquam barbaricorum errore committuntur? Exoriare aliquis tantorum monſtrorum domi-

mitor Hercules; vt sciant & intelligant gentes, quòd homines sint.

Iulianus Hospitator.

Vb erroris coniugij signis & Iulianus, cognomento Hospitator, centuari certa de causa poterit, vt audiemus. Cùm enim aliquando summo manè domum reuersus, in suo vxorisque cubili dormientes offendisset parentes; *putauit* vxorem esse cum adultero, & educto repentè gladio, ambos transfixit: vxor autem, antequam ille aduenisset, ad Ecclesiam perrexerat. Re tandem cognita, vbertim fleuit; vtque commissi veniam posset promereri, relicta domo, prope fluminis ripam, vbi multi vado transeuntes deperibant, xenodochiũ posuit, & viatores tecto excipere, & nauicula transuectare gratuitò, cœpit: vnde & Hospitatoris cognomen obtinuit. *M. Marul. lib. 4. cap. 9.*

Admonitio.

Error iste non obscurè alium errorem adumbrat, qui frequenter admittitur, vt verè adulter in coniugis cubili deprehendatur, & quidem cum coniuge, neque interimatur; sed scienter & sponte ad execrandum hoc scelus conniueatur; & maritalis tori violator honoretur, colatur, & (proh nefas!) ad redi-

tum, quotiescumque lubuerit, inuitetur. Itáne igitur venum prostituitur thalamus coniugalis, & lapides tacent?

Fredegunda, Gallorum Regina.

Fulgos. lib. 9. cap. 9.

QVanta etiã mala pepererit Fredegũdæ, Gallorum Reginæ, error, exemplo patebit. Cùm enim à Childerico viro (qui citiùs, quàm antea consueuisset, à venatione reuersus erat) post tergum, velut à blandiente, virgula tangeretur, dum inclinata se lauaret; *arbitrata* ipsa id ab adultero Landrico sibi factum fuisse (quia virum suum necdum rediisse *putabat*) eum nomine amantis compellauit. Sed, vt conuersa, errorem animaduertit; verita ne vir crimen vlcisceretur, quod iam detectum esse videbat, ne ipsa moreretur, viri mortem procurauit. Itaque prior ille coniugij error, in plures grauioresq; errores induxit. Quis vel diuinando assequatur calamitates, quæ etiamnum ex errore coniugij tam spontaneo, quàm casuali, exoriantur?

Theodosius, & vxor eius.

Sozom. lib. 5. Niceph. lib. 14. cap. 15.

POssit & animi gratia, sub *erroris coniugij* titulo, & ille Theodosij iunioris error talis qualis adscribi: qui, tametsi non ita ad rem primariã faciat, eamdem tamen suo lepôre concinnabit. Cùm ille

ıamque remissior esset in rebus imıj administrandis; adeò, vt libellis plicibus haudquaquam inspectis subiberet, neque à sorore sua Pulcheria, perij consorte, admonitus resipisce-; astu illum pulcherrimè elusit. Synıpham enim illa confecit, qua Theosius asserebat, se Eudoxiam *vxorem* ım Pulcheriæ sorori suæ vendere; ita sui iuris ampliùs non esset, sed tota in testate Pulcheriæ. Oblatæ per quemım syngraphæ Imperator more suo er incuriam subscripsit, redditaq; mox la sorori. Accidit paulo pòst, vt Euoxia ad multam noctem cum Pulcheıa in cubiculo ipsius, de industria, detieretur. Imperator mandat accersiri: sæius vocatam neque venientem iubet dduci. Ibi soror mittit, qui diceret, se nirari valde hæc ab ipso fieri, quando ciret quid inter vtrumque per cautionem non ita pridem fuisset transactum. Demiranti verò & hærenti, An non, inquit, hoc tuum chirographum? Nónne tua *coniux* mihi abs te vendita? negare non potes: inspice scriptum, agnosce manum. Hîc Imperator erubuit, placidéque admonitus, posthac se cautiorem fore, seriò promisit.

Admonitio.

IN Theodosio quidem notabatur ac corrigebatur tam supina rerum gerendarum (summi præsertim gubernaculi) oscitantia, vt etiam vxorem ignarus diuenderet: sed nihil vetat, eadem occasione animaduertere, tam viles, neglectas, & abiectas esse quibusdam viris suas vxores, vt iam non cum Theodosio per errorem, sed etiam lubentes, & data opera, & quidem gratuitò, easdem, si fieri posset, distraherent. Iudicet æquus & peritus talium mercium æstimator, vel quàm sincerus fuerit ille amor, quo primùm illas sunt prosecuti, & duxerunt; vel quanta cum gratia illas deinceps habuerint. Indignos ego omni prorsus mulieris consortio censeo; qui, quas duxerunt, tam viles habent. Ab initio non fuit sic, inquit Dominus, de matrimonij casti integritate & tori coniugalis sincera fidelitate differens: neque verè ea est tam sancti instituti conditio, qua communiter vel iniri vel seruari animaduertitur.

Matth. 19.

CAPVT III.

Error personæ.

QVia in proximè præcedenti argumento, nimirum *errore coniugij*, quędam relata fuerunt, quæ etiam cum *errore personæ* magnam habent affinitatem; vt controuerti possit, num potiùs sub hoc titulo reponi debuerint: idcirco *personæ errorem* è vicino subiungendum existimaui, vt iure vicinitatis & affinitatis sibi mutuo suffragentur.

Error autem personæ nobis hîc iudicatur, quando quacumque in re persona illa reuera non est, cum qua nobis negotium; quam esse *arbitrabamur*: sicut superiùs in Fredegunda Gallorum Regina ostensum est; quæ amasium suum esse *putabat*, qui eam à tergo per iocum virgula tangebat, & erat maritus: vt in quibusdam alijs iam dictis exemplis est animaduertere, *errorē* quoque *personæ* interuenisse; sed cur inter coniuges error ille accidebat, sub *errore coniugij* recensuimus.

Lamech, & Cain.

SAluo dilucidioris historicæ veritatis iudicio, similis esset *error personæ*, qui Lamech accidisse à quibusdam narratur, cùm sacræ Scripturæ contextus id Gen. 4.

 non

non ita disertè recenseat. Dum siquidem ob longum senium videndi vsum amisisset, & ingẽs venator fuisset, sagittandiq; peritissimus; in venationem duce puero profectus, cùm inter arbusta motum quemdam sensisset, *arbitratus* illic feram latêre, deduci se eum locum versus, eamque in partem dirigi sagittam curauit: quam cùm in feram, vt *putabat*, emisisset; Cain, affinem suum, miserè occidit; qui præ dolore repulsæ à Deo perpessæ in insaniā pene delapsus, vitato hominum conspectu, siluas habitatum se mœstus & extorris contulerat.

Cephalus, & Procris.

Metamor. lib. 7. fab. 28. PRæcedenti historiæ illud Ouidij Metamorphoseos ad amussim quadrat, vbi, more poëtico, fingit Cephalum vxorem suam Procridem pro fera iaculo confixisse. Cùm enim ille subinde *auram* refrigerandi gratia inuocare sueuisset; vxor *putans* eum nympham aliquam aduocare in coniugalis tori iniuriam, in virgultis se recondidit: vt inde specularetur, an esset aliqua, *Aura* nomine, cuius ille cupiditate impulsus, à se alienaretur. Cephalus autẽ procul speculans moueri virgulta, dum ibidem la-

têre

têre feram *existimat*, iaculo emisso, *coniugem imprudens* interfecit: itaque teli vim, quod ipsa marito ob iram *Auroræ* dederat, maximo cum ipsius viri luctu experta est. Poëtæ autem versus id describentis sic habet:

Fronde leuē rursus strepitū faciente caduca,
Sum ratus *esse ferā; telumq́; volatile misi.*

Ecce duplicatum triplicatumque videmus in hoc euentu *putabam*: ita incredibile est, quot quantasq; pariat in coniugio difficultates suspicio, & in facilè iudicando temeritas.

Gualterus Tirellus, & Guillelmus Britanniæ Rex.

SImilis satis prioribus duobus est & ille error, qui Gualtero Tirello, Britanno, dicitur accidisse. Is namque dum venaretur, *arbitratus* se telo ceruum petere, Guillelmum secundum Britanniæ Regem, cognomēto Rufum, patruelem fratrem occidit. Casu quidem sic accidit; sed tamen, dum *putat* feram ferire, Regem confixit, & interemit. Bap. Ful. libro 9. cap. 9.

Tiberius Cæsar, & Rhodius quidam.

ITa quoque infaustum illud *putabam* Tiberium impulit, vt amicū pro hoste confecerit. Dum siquidem per tormen- Bap. Ful. libro 9. cap. 9.

ta disquisitionem quorũdam haberet, vt causam mortis Drusi filij sui cognosceret, intereaque temporis ipsi significatur, Rhodium quemdam, ipsius amicum, quem etiã per litteras euocarat, aduenisse; errore factũ est, vt id intelligeret, tamquam si aliquis ei denuntiatus foret, vel sceleris reus, vel cuius *persona* ad totam rem, quæ inquirebatur, detegẽdam esset aptissima. Itaque statim comprehendi & torqueri curauit. Cùm autem *errorem* deprehendisset; ne tam iniustè cum amico egisse homines intelligerent, priori errori crudeli addito facinore, suffocari Rhodium amicum iussit. Ecce quàm pestilens fœtus ex illo nefando *putamine* subinde progignitur.

Iulius Mansuetus, & filius.

Bapt. Fulg lib. 9. cap. 9. VLtimo Otthonis prælio aduersus Vitellium, cùm Iulius Mansuetus, miles Hispanus, pro Otthone aduersus Vitellianos dimicaret; in medio prælij ardore à proprio filio est interemtus, qui in Vitellianorum parte erat. Cumque postea veluti hostem eum spoliaret; non sine immenso dolore deprehendit, illum patrem suum esse, tamque sæui facinoris causam *errorem* fuisse: vtque proposito nostro couenientiùs dicamus, inuenit

uenit causam erroris fuisse *non putaram*.

Mutius Scæuola, & Porsena.

PRoprijssimum istud quod sequitur est argumenti præsentis exemplum. Cùm enim olim Mutius Scæuola Porsenam, Hetruscorum Regem, vrbem arctissimè obsidentem, in ipsius castra ingressus, occidere *putauit*; alium, Rege *ipso* splendidiùs fortasse vestitum, pro Rege peremit. Error in eo consistebat; quòd *putaret* illum esse Regem. *Val. Max. lib. 3. cap. 3.*

Agesilaus, & Xerxes.

AGesilaus, Themistoclis filius, Atheniensis, errorem personæ errori Scæuolæ similem prorsus commisit; vnde & istud à Plutarcho in Parallelis, cum exēplo Mutij Latini, Græcū exemplum confertur. Is siquidem Agesilaus in castris Xerxis, Mardonium quemdam de Regis stipatoribus, *Xerxem ratus esse,* interfecit: comprehensusque, dexteram igni iniecit, dicens: Tales sunt omnes Athenienses; in hoc quoque fortissimi viri facinore cum Mutio Scæuola componendus. Error autem proposito nostro subseruiens in eo erat; quòd *putaret* illum esse Regem Xerxem, & non erat. *Plutarc. in Parallelis.*

Adme-

Admonitio.

VEhementer eſt metuendum, ne frequenter hic error committatur in adminiſtratione iuſtitiæ, dum vnus pro altero ſupplicio mortis afficitur; non quidem Ageſilai errore vel Scæuolę, ſed *Pluti:* dum Iudices muneribus excæcati, vel rei verſutia circumuenti; pro reo vero plectunt inſontem.

Alexander, & mater Darij.

Libro 4. Apophtheg. Gr.

QVodam tempore Darij mulieres inuiſit Alexander vnà cum Ephæſtione: hunc, cùm eſſet eodem ornatu, quo Rex, corpore etiam maior, Sygambris, Darij mater, pro Rege adorauit. Eadem, cùm ex nutibus adſtātium intellexiſſet *errorem* ſuum, perturbata, denuo ſalutauit Alexandrum. Tum Alexander: Nihil eſt, ô mater, quòd turberis; nam *& hic Alexander eſt:* ſentiens, amicum eſſe alterum Alexandrum. Sed error perſonæ erat, quia *putabat* eſſe Alexandrum verè, cùm non eſſet.

Semiramis, & filius.

Sabell. lib 3.

SEmiramis, poſt viri ſui Nini interitum, quia filio ſuo admodum adoleſcenti perquam ſimilis eſſet ſtatura & oris lineamento; hunc vafra virago virili habitu & effigie *mentita*, regnum

à Nino

no relictum ipsa assumsit, & per er-
:m pro Rege à subditis est accepta:
is namque defuncti filium esse *pu-*
nt.

Antiochus Rex, & Artenio.

Aodice (quæ in scelere atque vafri- *Val.*
:ie Semiramidi nihil cedit) vxor *Max.*
iochi Regis, interfecto viro, dissimu- *lib. 9.*
li facinoris gratia, Artenionem *cap. 5.*
iocho prorsus simillimum in lectu-
erinde quasi ipsum Regem ægrum
ocauit; admissumque vniuersum
ılum, & sermone eius & vultu con-
li fefellit; crediderruntque homi-
ab Antiocho moriente Laodicen &
›s eius sibi commendari.

Michol, & statua in lectulo.

On prorsus absimili modo, sed me-
liori iure & maiori cum laude ac
ito, Michol olim, Dauidis vxor, fa- *1. Reg. 19.*
ites Saul patris sui Dauidem ad ne-
ı quærentes elusit; statua scilicet
ibus obtecta, super lecto eius dis-
ita, quam & vestimentis operuit,
:groti decumbentis speciem æmula-
ır: & verè Dauidem esse *putabant.*

Vario-

Variorum exempla.

SEd ne in errore personæ prolixiùs hæreamus, aliquot exempla hîc obiter indicata adiungemus. Ita Pausanias Cleonicen Byzantiam virginem, quam haud secus quàm seipsum deperibat, inopinatò ingredientem, insidias ac proditionem veritus, tamquam hostem occidit. Ita populus Ephesinus, Chios ad amicum littus, hostilem incursum fugientes, piratas esse dum *putat*, amicos eósque vicinos internecioni dedit. Ita & populus Romanus mille & trecentos Numidas, qui ab Hannibale ad Romanos transierant, saxis è tectis demissis ferè interemerunt, propter habitus similitudinem, *putantes* hostes esse: quorum tamen opera plurimùm Romana res iuuabatur. Ita & Caius Heluius Cinna populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem sæuire se *existimabat*. Et ita in varijs hic error personæ per *putabam* commissus est.

Bapt. Fulg. lib. 9. cap. 9.

CAPVT IV.

Error dominij.

DOminij error hîc intelligitur, non is, quem aliquis verus dominus in legitimo suo dominio committit, quales inter-

interdum sunt infiniti; sed quando quis sibi dominium aliquod vsurpat, quod iure ei non debetur; vel etiam, quando quis seruit alicui *per errorem* vt domino, & verè non est eius legitimus dominus; sed *putat* tantummodo esse.

Equitius Picenus, & populus Romanus.

MOnstrum hoc (vt Valerius loquitur) Firmo Piceno veniēs, in amplectēdo Tiberio Graccho patre, euidēs mendacium turbulēto vulgi errore, amplissima tribunatus potestate vallatum est. Huic & Smerdem, Cambysis loco Persarum regno se vestientem, adiungeremus, nisi sub *errore generis* eum recensuissemus. *Val. Max. lib. 9. cap. 16.*

Phaëthon, & Orbis terrarum.

FAbulosum id quidem, fateor; sed tamen in eo nobis accommodum, ad quod à Poëtis fuit confictum; atque ita fabulosus non erit, neque inutilis ad seria fabulæ fructus. In eo autē *dominij errorem* effingimus, quòd historiæ specie, Orbis terrarum, ob malè gubernatam Solis quadrigam, incendio conflagrans, ignorarit quid hoc causæ & rei esset: cùm, *errore dominij*, Phaëthō habenas sibi regendas loco parentis præsumsisset; *Meta. lib. 2.*

quarum

quarum regimini,tum per ætatem, tum propter inertiam & imperitiam, impar erat, *putabat* se bene recturum: *non putabant* mortales se tam temerarium tamque infelicem nactos aurigam.

Antiochus, Epiphanes dictus.

PHaëthonti iungatur Antiochus in eodem gradu affinitatis, ob affectatam
1. Mach. 5. prædominandi temeritatem: qui,spoliato templo Ierosolymitano, velociter Antiochiam regressus, *existimabat* se, præ superbia, terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem; vtque alio
1. Mach. 9. loco dicit Scriptura: Cæli sidera se contingere *est arbitratus*. Errorem dominij in eo considero, quòd rerum illarum imperium & dominatum præsumserit, quæ sub hominis potestatem non cadũt. Errorémque illum ex ea radice superbiæ & vanæ arrogantiæ pullulare est manifestum, quòd ipse fastuoso tumore excæcatus non viderit, aut saltē videre noluerit, se maiora se suísque viribus imperia sibi adscribere, ac proinde, *putare* se, vniuersa sibi parere debere, tamquam Deo. Hoc enim se putasse testatur,
2. Mach. 9. cùm tandem depressus dixit: Iustum est, hominem subditum esse Deo; & mortalem

lem non paria Deo sentire. Quod & sequens exemplum declarat.

Canutus, & mare.

CAnutus verò Rex Daniæ & Angliæ non minori laborauit superbia & fastu, quàm Antiochus; sed plus habuisse videtur inscitiæ & fatuitatis coniunctum. Is siquidem solio suo iuxta littus maris collocato, dixit; Pars *ditionis* meę es, ô mare! atque ita imperio meo obtemperare te, æquum est. Mare autem intumescens, & vndas appellens, in sinum ipsius aquas elisit. Quocirca ille inde recedens, humiliter egit: & cruce super corona sua posita, pietati ac modestiæ deinceps operam dedit, & in alium prorsus virum mutatus est. *Lycosthenis Theatrum.*

S. Christophorus, & diabolus.

QVemadmodum Ecclesiæ vsus, ab antiquorum Patrum pia commentatione, tum historias tum picturas symbolicas habet; non quòd illa, quæ tali pacto repræsentantur, sic accidisse crediderit, vel credi velit, sed sub historico schemate aliquid boni sensu mystico significari: quales sunt S. Georgij dracone interemto virginem liberantis; S. Christophori puerum Iesum per vndas gestatis, &c. ita est illud proposito presenti

conueniens, quòd adumbretur hic sanctus; qui dum maximo Domino mundi seruire desiderat, in diaboli seruitium incidit: donec præcellens (vt videbatur) hic dominus crucem, ob crucifixi supremam ac diuinam maiestatem, in via, qua transeundum esset, horrescens atque refugiens, Christum Iesum maiorem se Dominum esse re ipsa testatus est. Quo comperto Christophorus, relicto diabolo & mundo, Christo soli, vt summo Domino, sincerè seruire, & verè Christum in pectore, & omni exteriori habitu, vitæque conuersatione, aliorumque conuersione, gestare cœpit. Adeò, vt eiusmodi repræsentationes, & secundùm personas, & secundùm rem sub historico ornatu significatæ, & veræ, & piæ, & admodum vtiles sint. Quoad nostri tractatus scopũ: verè cognoscimus, hunc *errorem dominij* frequenter in mundo committi; quando homines dæmoni pro Deo deseruiunt.

Admonitio.

IVxta duplicem *erroris dominij* sensum, quem sub argumenti huius initium dedimus; manifestum euadit, etiam hodie, proh dolor, nimis multos in vtrumque errorem prolabi! Quis enim satis deploret dementiam hominum, qui, spreto

ſpreto ruptoque veræ debitæque ſubie-ctionis iugo, non ſolùm ipſi legitimis ſuis dominis deinceps obedire detre-ctant; verumetiam contra ius & fas, contraque omnem naturæ legẽ ac rationis ordinem, tum priuatis in rebus, tum in publicis, ſibimet rerum dominium præfractè vſurpant? Quàm & illud dolendum, quòd quemadmodum eiuſmodi rerum ordinumque perturbatores *errorem* iſtum *dominij* ſcientes & maleuolè induūt: ita omnes ſibi illegitimè ſubditos in alterũ *erroris dominij* ſpecimen impiè inducunt; vt ſibi, non dominis, tamquã dominis ſubditi, pareant! Quales etiam ſunt omnes illi, qui per rebellionem rerum potientibus ſubſunt, domi militiæque ſub eorum ſignis contra legitimos dominos militant. Sed eheu! maximus *error dominij* eſt; quando hoſtibus animæ noſtræ, diabolo, mundo, & carni, ſpreto Deo, ſeruitur.

CAPVT V.

Error ambitionis.

QVemadmodum eſt immenſus ambitionis & dominandi ardor; ita quoque innumeri quotidie committuntur & *ambitus* & *dominij errores*, ſunt-

que regendi gubernacula perdendæ Reipublicæ instrumenta. Quàm autem hic error præcedenti conuenienter subiungatur, nemo non videt; quia alter alteri, sicut manus manui, opitulatur. Cùm ambitus verò non rectà incedat, sed circumflexè; quid mirum si in plures quoque deducat errores? *Errorem* tamen *ambitionis* hîc intelligimus, non ipsum delictum, & quæsiti honoris vel gradus cupiditatem: sed (iuxta receptum iam nobis erroris sensum) quando quis vel nescit quid ambiat; hoc est, non intelligit, quàm sit hoc à se suóve statu alienum, quod assequi studet, vel non assequitur, quod ambiebat. Vnde & rectè apud Stobæum Socrates aiebat, Spem malam nihil aliud esse, quàm pessimum *via ducem* ad grauissima quæque peccata.

Stobaus ser. 109.

Iacobus & Ioannes Apostoli.

DVm necdum in humilitatis schola eousque profecissent Apostoli, vt innatum illum mortalibus fastum agnoscerent, agnitumque calcarent; ambitionis subinde pruritu amburebantur, & igniculis suffumabant. Vnde, cùm Iacobus & Ioannes, filij Zebedæi, interuẽtu sollicitę ac sollicitatę matris,

Matth. 20.

tris,

tris, apud humilitatis magiſtrum, Chriſtum, à dextris & ſiniſtris conſeſſum, hallucinantibus mentis luminibus, quaſi palpantes, ambirent; à Domino audiuerunt: *Neſcitis quid petatis.* Ac ſi dicat: Nec rem, quam petitis, intelligitis; neque, an vobis conſultum atque vtile ſit futurum, expenditis, immo nec legitimum obtinendi modum tenetis.

Admonitio.

QVàm multi hodie (proh dolor!) ambientes, currentes & diſcurſitantes, ſollicitantes, ſupplicantes, poſtulantes & poſtillantes! quibus, ſi tam actu & re ipſa, quàm iure & merito, apoſtilla illa (*Neſcitis quid petatis*) libellis ipſorum ſupplicibus adſcriberetur; ipſi tandem parietes & ſubſellia, ob repetitam idipſum ſcribendi frequentiam, voces iſtas quaſi cælo acceptas reſonarēt; adeò nemo tam eſt inſulſus & truncus, qui ſe quouis imperio non *putet* digniſſimum: atque culicum inſtar gregatim & agminatim palatia & curias circumuolitant. Quocirca, quandoquidem tam imprudens & inſenſatum eſt hoc hominum genus, tam ſtudioſè atque ardenter maiora ſe quærentium; det Deus

Principibus & Regibus ſapientiam prudenter negandi, quod eis non poteſt prudenter concedi.

Aman, hoſtis Iudæorum.

Eſther 3. &c. VErè neſciuit & ipſe Aman, iuratus Iudæorũ hoſtis, quid peteret, quando ſecundus à Rege Aſſuero *ambitioni* ſuæ modum non poſuit: ſed & manifeſto totius Iudaicæ gentis exitio, & occulto Regis interitu, viam ſibi ad regni gubernacula munire conatus eſt. Nam quò maiora ſublimioraque tam vano molimine eſt machinatus; eò fœdiorem inuenit ſui ambitus exitum; quando pro Mardochæo propriæ ipſemet cruci eſt affixus.

Sacerdotes Machabæi.

AVdientes quidã è Machabæis, quòd Iudas, ob res bene geſtas & virtutem bellicam, inſignem apud omnes gloriam conſequeretur, eiuſdem laudis 1. Mach cap. 5. & gloriæ æmuli, dixerunt inter ſe: *Faciamus & ipſi nobis nomen*; & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. Sed *error ambitionis* inuoluit eos; & contrarium ſunt prorſus conſecuti euentum, quàm *expectabant*. Fugati

ſunt

funt fiquidem, ceciderun tque duo millia, & facta eft fuga magna in populo: ficque gloria ipforum in confufionem & ignominiam verfa eft. Nam, quando folo inanis ambitionis impulfu proceditur, neque rectæ rationis, neque iufti imperij, neque maturi confilij norma feruatur; quafi Andabatarum more, claufifque quodammodo oculis decertatur.

Alexander Magnus.

ALexandri pectus infatiabile laudis & gloriæ fuit, eoque profundiùs in *ambitionis errore* verfabatur. Nam Anaxarcho comiti fuo, ex auctoritate Democriti præceptoris fui aliquando referenti innumerabiles effe mundos, Heu me, inquit, miferum, quòd nec vno quidem adhuc fum potitus! & verum hoc effe *putauit*, & fe omnibus tandem poffe potiri *arbitrabatur*, fi tempus fuppetiffet. Ita quidam fibi, quidquid perfuadent, pollicentur.

Apoph. libro 4. apoph. 57.

Empedocles medicus.

EO modo, non minùs infana quàm ridenda ratione, Empedocles *ambitionis errori* fefe immerfit: nam cùm Panthiam Agrigentinam à graui morbo cu-

Bap. Ful. libro 8. cap. 15.

rasset, atque ob id se pæne pro numine coli animaduerteret; immortalitatis atque famæ studio incensus, Ætnam insiluit, atque medios ipsius in ignes se coniecit. Ita quidam ambitionis œstro perciti, in gehennæ se flammas præcipitant.

Romanus quidam iuuenis.

Bap. Ful. libro 6. cap. 3.

ROmanus quidam iuuenis ad Vespasianum profectus, vt pro *impetrata præfectura* gratias ageret; quia vnguenta olebat, non contentus Imperator eum manu reiecisse, contumeliam quoque adiecit, dicens: Mallem allium oboluisses. & insuper litteras datæ præfecturæ reuocauit. Quo dicto & facto innuebat; quòd quemadmodum nobili genere ortum iuuenem lautitia & tersi corporis munditia decet: ita femineos cultus atque odoramenta viro dedecori esse. Muliebres enim munditias in viro leuitatis atq; impudicæ vitæ indicia esse aiebat. Itaque *error ambitionis* erat & in accessu, quòd indignè sibi præfecturam molliculus arrogasset; & in regressu, quòd iam obtentam amiserit: *putabat* esse Præfectus.

Hauna

Hanno Carthaginensis.

ERror ambitionis, ex rei prætensæ frustratione, in Hannone Carthaginensi clarissime elucescet. Eò namque vecordiæ processerat, vt, cùm pro Deo inter mortales haberi vellet, hoc commento sit vsus: complures aues humanarum vocum imitatrices, in obscuro loco conclusas, sonare hæc verba edocuit; *Hanno est Deus:* quas postea liberè ire permisit, *existimans* se hoc modo immortalitatem assecuturum: sed auiculæ ad consuetum cantum redeuntes, stultam *Hannonis* cupiditatem & spem irritam fecêre. *Ælian. lib. 12.*

Menecrates medicus.

SImilis ferè euentus Menecratem medicum vesania simili laborantem elusit. Scripserat enim is aliquādo Philippo Macedoni eiusmodi litteras: Menecrates Iupiter Philippo salutē; respondebatque ei Philippus in hunc modum: Philippus Menecrati medico sanitatem; notans eum à cerebro laborare. Porrò accidit aliàs, vt Philippus eum cum alijs aliquot eximijs viris ad prandium inui- *Ælian. Var. hist. lib. 12.*

inuitaret. Itaque homo vanus cupidissimus gloriæ, mira sibi persuadens, cùm aduenisset, cæteris mensæ regiæ accumbere iussis, ipsi mensula soli cum sola acerra & thure apposita est, cum hoc publico erubescentiæ pleno elogio; quòd Dij mortalium ferculis & missibus non indigerent. Ita interdum qui sibi Dij videntur, vix digni sunt qui mortalibus æquiparentur.

Ruffinus, Dux militiæ.

Zosim. lib. 5. Claudianus lib. 6. D. Hier. epist. 3.

RVffini superbum ambitionisque plenissimum animum, *erroremque* contrarij prorsus euentus auctorē, hîc optimo iure poneremus; eo quòd cùm esset alienigena, magus, & humili loco natus, tam optato successu prouectus fuerit, vt summos Constantinopoli consecutus fuerit magistratus; tamque ambitiosus, vt & generum conaretur habere Imperatorem, immo & Imperatoriam dignitatem affectarit: nisi inferiùs capite vndecimo partis tertiæ, occasione putationis membrorum ipsius, de hoc ipso dissereremus.

Almo.

Admonitio.

VTinam, quotquot ambitionis ſtimulis agitantur, meminerint & dicti Dominici, Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur; & caſus diabolici, qui ex angelis dæmones fecit. *Luc. 14.*

CAPVT VI.

Error hereditatis.

ERrorem hereditatis appellamus, quando expectata aliquis hereditate fruſtratur; tum etiam, quando hereditas per *errorem* ad alienos transfertur. Sed quia in admonitionibus ad caput primum, de errore generis, & ad caput ſecundum, de errore coniugij, in ſecunda hac parte, de parte hereditatis ad ſpurios & adulterinos tranſlata cum legitimorum liberorum iniuria, eſt tractatum; hîc plura non addam.

Eſau, & Iacob.

ESau pro lentis opſonio & vili pulmento ius primogenituræ, cum prærogatiua eodem ſpectante, Iacobo fratri ſuo natu minori vendiderat: & tum primùm erroris grauitatem animaduertit; *Gen. 27.*

tit; quando pro edulij iusculo, iuris trãslati vigore, & Iacob primogeniti benedictionem à patre accepit, & temerarius ille nundinator ac malus iurisperitus re ac spe omni deiectus est. *Putabat* siquidem id parum referre, si futurorum prærogatiuam alienasset, modò præsenti gulæ auiditati vtcumque faceret satis. Hoc inane *putamen* Scriptura sacra perstringit, dum sic inquit: Abijt, paruipendens quòd primogenita vendidisset.

Gen. 25.

Admonitio.

VIderint illi, qui, ad eius exemplum, cælestis *hereditatis* ius, quod per sacri fontis adoptionem adepti sunt, & in spiritali illa regeneratione adnatum est, pro vilissimo vel auaritiæ, vel gulæ, vel cuiusuis illicitæ voluptatis opsonio, & lubrico bolo dilapidant. Irrugient olim cum Esau ceterisque insensatis addictis gehennæ, cum lacrymis & vlulatu terribili, pro subitatione insperatæ salutis: sed æterna illos manebit metanæa, cum tormentis inexplicabilibus.

Coranus, & Nasica socer.

Chil. 1. centur. 7.

COranus, spe *testamenti*, per dolum, Nasicæ socero ostentata; moriens nihil

nihil præter *plorare* reliquit. Vnde & prouerbium illud est ortum:

——— *Coruum delusit hiantem.* *Horat.*

Blæsus, & Regulus.

VElius Blæsus, vir consularis, Regulum præsentem inter heredes scripsit; quia is ægrum diligenter curare videbatur: ceterùm, posteaquam scriptus fuit heres, & medicos hortabatur, vt citò Blæsum conficerent, ne diutius ægritudinis molestia laboraret; atque si Blæsus persensisset, aperto post eius mortem testamento, Regulus inter heredes non inuentus, perfidiæ suæ pœnas luit. *Putarat* se coheredem futurum, sed merito suo mirabiliter est frustratus. *Fulg. lib. 7. cap. 9.*

Heredes ingrati decepti.

MEmorabile olim accidit in aliquo Flandriæ oppido, quod sine personæ cuiusquam nomenclatura ob caussas hîc referam. Vir quidam non mediocriter opulentus ita profusè viuis adhuc prolibus bona sua est elargitus (*putabat* siquidē apud gratos heredes nihil sibi defuturū) vt ipsi ab inopiæ contubernio non parum esset metuendum; adeò

proles,

proles, cùm nihil amplius alicuius momenti superesse viderent, eum destituebant. Consilio itaq; ab egestate, artium magistrâ, accepto; è manu fidelis amici pecuniæ summam non modicam, postridie bona fide restituendam, mutuò accepit: vocatisque ad prandium prolibus; dum feruet symposium, arte concepta, à quodam ad portam vocatur pater: ille paucis verbis excipiens nuncium, ad musæum festinus contendit, pecuniamque illam versat & reuersat, quasi summam ingentem expediens ei qui se vocarat numerandam. Dumq; expedito negotio ad mensam redit; admirātes omnes rogarūt quid hoc rei esset, quòd ita nummatum adhuc haberent patrem, cùm iamdudum exhaustum putarent. O (inquit) carissimi, támne imprudentem me credidistis; vt omnia vobis in viuis elargirer, & ego postea vel inopiam paterer, vel à vobis cogerer dependêre? absit tam imprudens consiliū. Superest, superest adhuc portio non contemnenda in cista illa, cuius ternas confici iussi claues, vnam mihi, executoribus testamenti in morte dandam, alteram Pastori, & tertiam maximo è vobis natu. Et quicumque optimè de me meritus fuisse censebitur, illam est habiturus.

fus. Ex hoc itaque tempore certati in omnes de parente quàm optimè mereri studuerunt; adeò, vt qui antea ab omnibus deserebatur, interea toto reliquo vitæ tempore lautissimè ac liberalissimè habitus fuerit. Illo autem iam vita perfuncto; ad arcam illam thesauri custodem, seruato clauium ritu, processum est: quæ, mox atque aperta fuisset; plus oculorum in illam auidissimè intuentium, quàm latentium illic nummorum & orbiculorum capax fuit. Nihil etenim aliud in ea repertum est, præter egregium fustem cum scheda hisce verbis notata: Quisquis se ita ante mortem in filiorum gratiam despoliat, vt ipsemet postea egeat; hoc fuste lumbifragio castigari meretur. Sicque ad pietatem exercendam edocti fuerunt, & propter impietatem & priorem ingratitudinem optimo iure delusi; vt & *putabam* illos eluderet. Simile sic satis est illud Semiramidis & Darij: sed opportuniùs sub sequenti titulo & capite *erroris thesauri* regessimus, nempe capite 7.

Admonitio.

INdigna res prorsus heredum ingratitudo; qui non solùm exhaustos parentes

rentes in vita destituunt, atque ita cum egestate conflictari sinunt, vt eos etiam eorum pudeat, vixque adspectu, allo-quio, aut agnitione dignentur: verum-etiam, vt vix iusta defunctis persoluant, eorumq; animas vix precula aliqua Deo cõmendent. Digni prorsus qui heredi-tate frustrẽtur. Sed longè pessimus *error hereditatis* est iste; quando quis ita se ge-rit, vt & hîc hereditate Ecclesiæ, factus per excommunicationem extorris, pri-uetur; & cælestis hereditatis consortio post mortem excludatur. In temporali-bus autem detestandus est error, quando vitilitigatorum, aut iniquorum exacto-rum, curatorúmve iniuria legitimi he-redes priuantur; vel quando latentes in familia spurij non solùm cum legiti-mis partiuntur, sed etiam aliquãdo, reie-ctis istis, soli pen aliquem astum aut vio-lentiam potiuntur. Vindictam in erro-rum auctores & fautores hæc clamat in-iuria: & clamor aliquando exaudietur.

CAPVT VII.

Error thesauri.

Error thesauri, prout hîc intelligi-tur, accidit; quando vel quæsitus non inuenitur; vel habitus indignè sur-ripitur;

ripitur; aut quoquo modo sic perit, vt suum incubatorem frustretur. Atque quemadmodum titulus iste cum præcedenti contiguus est loci vicinitate; ita quoque naturali affinitate coniunctus est.

Thesaurus, & laqueus.

Fictio illa proposito præsenti initium dabit,& viam aperiet, qua solet moralis doctrinæ gratia narrari, quòd quidam thesaurum (*vt putabat*) vel suum, quem deposuerat,adhuc reperturus, vel nouum inuenturus, pro thesauro repererit laqueum. Iniqui mammonæ argumento, qui suum herum ad laqueum tandem remittit, cùm se ipsius fidei, curæ, ac dominio subduxerit. Quò & illa siue fabella,siue historia referri potest; quę habet:quòd cùm quidam thesaurum suum secreto quodã loco repositũ vellet videre, videndoque eo (quod sæpe solebat) se oblectare; thesauri loco repositos inuenit lapides: cumque ob deplorandum hunc casum lamentaretur, ab amico responsum est illi: Quòd si ad nihil aliud tibi reconditus ille thesaurus seruiebat, quàm vt illum subinde contemplareris; redi quoties voles, & lapi-

 des

des istos tibi respicere sit volupe: certus, quòd quemadmodum nihil tibi à thesauri huius surreptione veniet metuendum; ita erit semper, quo tu securè tuo voto fruaris.

Admonitio.

CErtissimum est, non tam fabulosa esse quæ diximus; vt non re vera veriùs, etiam magis admiranda, ridenda, & deploranda, auaris eueniant: adeò, vt nec Heracliti collacrymatio satis sit, ad horum deplorandam miseriam; neque Democriti risus sufficiat, ad dignè subsannandam ineptiam pauperũ diuitum, thesauros suos vt Deos colentium, illis sollicitè incubantium; & auro dilapso se magis ad patibulum quàm ad patientiam comparantium. Quocumque autem modo *thesauri error* eueniat; semper in culpa est illud infelix & maleominatum *putabam:* quod primarij scopi loco præfiximus impetendum & configendum.

Atheniensium vulgus.

Chiliad. FAma olim apud Atheniensium vulgus increbuerat, in Hymetto monte magna auri fragmenta videri, quæ à formicis

formicis illis pugnacibus seruarentur. Itaque quidam creduli, sumtis armis, exierunt, illas expugnaturi. Qui cùm re infecta, frustráque sumto labore redirent in vrbem; à ceteris ciuibus sunt irrisi, illud vulgatum adagium obiectantibus: *Aurifabrum te futurum credebas.* Cui simile est illud: *Carbones thesaurus erant.* Ex euentu nimirum eiusmodi desumtum, quo, spe thesauri quis fodiens & multum desudans, carbones thesauri loco defossos inueniat. Vnde recte Lucianus in Timone, de auro quasi per somnium inuento: *Vereor, ne expergefactus, carbones reperiam.*

Semiramis, & Darius.

SEmiramis Nini vxor, Assyriorum Regina, olim monumento, quo post mortem recondenda erat, hæc verba insculpenda curauerat: Quicumque Regum pecunijs indiguerit, recluso hoc conditorio, quantum voluerit inde accipiat. Itaque Darius, cùm hoc perlegisset, auri cupiditate sepulchrum iussit recludi; in quo nihil pecuniæ inuenit, sed tale scriptum: Ni malus vir esses, ac nummis insatiabilis, mortuorum loculos non moueres. *Plutarch. in Apoph.*

Admonitio.

DIcere poterat Darius ſic eluſus(cum omnibus qui magnificis ſuis ſpebus, rebus prædiſque, præſertim in Principum aulis,tam ignominioſè quàm iuſtè fruſtrantur; & à prætenſis honoribus, magniſque prælationibus, quibus inhiabant, decidunt) illud commune prouerbium: *Lupus hians*. Lupus ſiquidẽ, dum ſe prædam nactum exiſtimat,deducto vehementer rictu accurrit; fruſtratus verò, adhuc hians diſcedit; quod innuit illud Luciani in Galba: *Ingrediebar itaque, cùm parum abfuiſſet, vt lupus hians diſcederem*. Vtinam verò hic *error theſauri* frequentiùs illorum limina terreret, qui ita auidè atque iniuſtè alienis opibus inhiant, mille artes excogitant, atque omnem(vt dicitur) mouent lapidem,vt nõ ſolùm miſellos, ruſticos,pupillos,& viduas, verumetiam Principes ipſos ſuis bonis exſpolient, ſeque iiſdem inueſtiant. Vtinam (inquam) iſtud *putabã*, quod omnes alioqui propemodum homines decipit, non tam iſtis rapacibus gryphis, & hiantibus lupis, atque accipitribus, *ratum* exiſtat; tamque ferè infallibile, vt funis ipſorum picatæque

que manus semper ferme aliquid attrahant.

CAPVT VIII.

Error euentus.

TAmetsi hic *error euentus* in omnibus ferè errorū generibus reperiri posse videatur; (nam quandocumque committitur error aliquis, ibi etiam res aliter euenit, quàm *putabatur*; atque ita est *error euentus*) tamen singularem hîc illum certo quodam modo statuimus; atque aliqua saltē proprietate distinctum: vt videlicet merus sit euentus fallax & inopinatus, immo directè præhabitæ spei contrarius; vt qui Solem orientem præstolaretur, & ecce iam videret occidentem.

Tarpeia virgo Romana.

TArpeiam virginem Romanā, aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, vt armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus, quæ in sinistris manibus gerebant. Erant autem his armillæ & annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, clypeis obrutam *Val. Max. lib. 9. cap. 6.*

 necauit,

necauit; & perinde quasi promissum, ea quæ læuis gestauerant, soluit. Itaque pro armillis & annulis clypeos & parmas accepit, quibus oppressa occubuit. Si ita futurum *putasset*, fuisset prudentior.

Admonitio.

ITa multi à diuitiis, voluptatibus, & cupiditatibus huius sæculi, euntes, hoc est, adhuc viuentes, videntes, & volentes suffocantur; & non referunt fructum ex speratis, ex acceptis, ex tota ferè vita tam anxie possessis.

Demonica, & Brennus.

SImile prorsus, & tantùm non idem est, quod iam nunc dicto subijciam. Cùm Brennus, Senonum Dux, Ephesum obsideret; Demonica mulier auiditate monilium, quibus ille cum suis ornatissimus enitebat, vrbē ipsam prodidit. Brennus verò, vrbem ingressus, tanto auro feminam onerauit, vt dedita opera oppresserit viuam: adeò, vt nihilo plus ista profecerit, feliciusque perierit, auri grauamine; quàm illa Tarpeia, ferri pondere suffocata. Ita diabolo perinde est, vtrùm animam cuiusquam aperto peccato, vel ficta virtute, trucidet.

Clitophon lib. 1. rerum Gallic. & Plutarch. in Paral. cap. 30.

Admo-

Admonitio.

DOcet vtriusque prædicti exempli euentus, quàm plurimos insatiabili habendi cupiditate distentos, tam multa non rarò corradere & coaceruare; vt suomet quęstu præfocentur. Sic enim & candela abundantiori sebo, quo ali nutririque debebat, extinguitur: quæ etiam idcirco & auaris & gulosis pro emblemate seruit. Nam sicut diuitiæ abundantiores multorũ sunt peccatorum, & plerumque damnationis æternæ occasio; ita cibus immoderatiùs sumtus, quem nutrire debebat, interimit. Eoque mores venêre, inquit Plinius, *vt homo maximè cibo pereat.* Vnde verè dictum: Plures occidit crapula quàm gladius. Error euentus itaque est istę proprius; quia planè contrarium quàm debuerat, quamque *putabatur*, & expectabatur, contingit. *Plinius Nat. hist. lib 26. cap. 8.*

Midas, & aurum.

MIdæ fabella, tametsi fabella, rem seriam tamẽ, prædictis quadrantẽ, ob oculos ponit. Cũ enim (vt fingũt Poëtæ) concessum ei esset à Baccho, hospitio excepto, vt, quodcumq; vellet, optaret; futurus voti cõpos, optauit, vt quidquid attingeret, aurũ fieret: sed cùm pręter mẽ- *Metamorph. libro 11.*

tem cibus & potus ipſo attactu in aurum verterentur, ſenſit, ſe ſtolidè optaſſe; cumque ſe in Pactolo fluuio iuſſu Bacchi abluiſſet, fluuius ille arenas aureas voluere cœpiſſe confingitur. Ita dum ſe auari beatos *putant*, ter miſeri ſunt.

Admonitio.

SEd eheu! quam dolendus futurus eſt ille *error euentus*, omniumque eius generis infeliciſſimus, qui damnandis *eueniet*, iamque damnatis euenit; ſic eum deſcribente ſacra Scriptura per os Sapientis: Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione *inſperatæ ſalutis*, dicentes intra ſe, & præ anguſtia ſpiritus gementes: *Nos inſenſati* vitam illorum *æſtimabamus* inſaniam, & finem illorũ ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Vtrimque contrarius eſt euentus, & vtrobique *putabam* in errorem eos induxit. Sanctos in hac vita miſeros exiſtimabant, neque vnquam fore beatos; ſe verò hîc felices arbitrabantur, & æternam beatitudinem ſibi pollicebantur; atque vtrobique *euentus* contrarium docuit, hinc omnis ſtupor & conſternatio.

Sap. 5.

CA-

CAPVT IX.

Error belli.

QVemadmodum domus contiguæ in eadem platea viciniam ornatiorem efficiunt; ita iure vicinitatis exempla errorum affinium in eadem ſerie digeſtorum rem ipſam magis concinnāt. Multi errores, euentus, errores belli ſunt, & è conuerſo: atque ita hîc propria quædam bello referemus; nam alioqui infiniti ſunt errores bellici, ſed non ita propoſito noſtro ſeruientes. Tales autem ſunt proprij, qualis erat ille, cuius gratia vox illa, *non putaram*, originem traxit; quam (vt initio capitis primi partis primæ docuimus) in re militari locum habere non debere Scipio eſt proteſtatus.

Marcellus & Criſpinus Coſſ.

DE Marcello & Criſpino conſulibus agens Polybius, qui ſe ſuumq; exercitum in diſcrimen coniecerant, quod alio modo citra periculum fieri potuiſſet, vel non ita temere attentari; dicit Imperatorem non debere ſe ita exponere periculis, vt poſtea dicere cogatur, *Non putaram*. Et hic proprius eſt error belli, quem indicamus; de quo dici po- *Pol. libro 10.*

 teſt,

test, quod dicit & Cicero: Turpe est dicere, *Non putaram.*

Athenienses, & Pisistratus.

Sabell. lib. 3.

ERror belli quoque non est exiguus, qui in belli præparatione, vel nō, vel secus facta, committitur. Quia porrò Pisistratus diu se domi continebat, *existimabant* Athenienses id eum eò facere, vt ab inimicis se tutaretur, à quibus iniuria affectus fuerat; vt tandem præsidio tectus, tutò prodiret in publicū. Sed *astu hoc vsus est*; vt dum priuatæ saluti studiosè caueret *credula* multitudo, publicæque obliuisceretur, ipse concessis armis vteretur, non iam vt ciuis, sed hostis; non vt se tegeret, sed vt patriam affligeret; dubium maiórne fallendi artifex, quàm carnifex crudelior. Saltem *putare* Athenienses in errorem hunc duxit.

Psylli cum Austro.

Sabellic. lib. 4. cap. 9.

PSylli, quia Austrum ventum plus nimio haberent inuisum, vt sibi & suæ terræ noxium, sumtis armis, hostiliter profecti sunt; ceu vnum aliquem hominem, vel hominum agmen, & non rem quodammodo incorpoream & inuulnerabilem peterent. Itaque illi, qui tam

stultè

ſtultè bellum vni ventorum intulerunt; magno humanæ mentis ludibrio, ſed fortunæ adhuc maiore, victi ſunt. Turbatis enim Auſtrino flatu arenis, ad vnum omnes perierunt.

Admonitio.

VT varius eſt euentus belli, & quaſi iactus eſt aleæ anceps victoria; ita non pauci nec parui errores ſunt, qui in belli negotio committuntur. Et quis omnium maximũ eſſe coniecerit? Apollo ſit ille, & quidem magnus: tanti momenti ſunt omnia, quæ ab hac mole & machina pendent. Equidem (ſaluo meliori iudicio) maximum illum *errorẽ belli* exiſtimem; quando nec venturi errores, ne eueniant, præcauentur, neque commiſſi caſtigantur: & hic error impunitatis non ſolùm ceteros omnes obliterat, verumetiam quaſi ſigillo munit.

Equites Romani ad Cannas.

EO prælio, quo Romani *infeliciter* apud Cannas cum Hannibale dimicarunt, vulnerato Pauli Aemilij Conſulis equo, qui ob id pedes remanſerat, quidam equites, qui ei adſtiterant, ab equis deſcenderunt, vt Cõſulem in alium equum *Bap. Ful. libro 9. cap. 9.*

trans-

transferrent: ceteræ autem equitum turmæ, *arbitrati* Consulis iussu atque consilio primos illos equites descendisse, atque idem omnibus agendum esse, eodem momento omnes ab equis descenderunt; qui error, magna ex parte, vt eo prælio Romani vincerentur, caussa fuit. *Putabam*, ecce, omnes in errorem illum inuexit. Itaque Hannibal descendere equites Romanos conspicatus, ad suos conuersus, dixit: Malle se, vt Romani equites hoc facerent, quod iam agere conspiciebantur, quàm vt vincti ad se deducerentur. Errore enim compulsi, sibi ipsi equorum opem, quam maximè necessariam habebant, ademerunt.

Mastelzeres; & Gildo.

Fulg. lib. 9. cap. 8. ERrore mirabili Gildonis exercitus, qui magno numero Mastelzeris copias superabat, ab istis nullo effuso sanguine superatus est; & Gildo se in fugam coniecit, ac fratri victoriam tradidit. Belli autem error hic fuit: Cùm Mastelzeres contra fratrē suum Gildonem, qui ab Honorio Cæsare defecerat, esset in Africa dimicaturus; priusquam manum consereret, blandè milites in prima fratris acie alloquebatur: at cùm Gildonis vexillifero atrociùs ceteris

teris reſponſanti gladio brachium amputaſſet, & vexillum in terram caderet; vltima Gildonis acies, eo quòd Maſtelzerem alloquentem viderant, neque ampliùs vexillum à vexillifero regi, *putabant*, primam illam aciem, quæ tota Romanis legionibus conſtabat, Maſtelzeri, tamquã Honorij Duci, deditionem feciſſe, atque idipſum inclinato vexillo (quemadmodum eo tempore agendi mos erat) declaraſſe. Itaque à potiori exercitus parte ſe deſertam *rata* vltima acies, in fugam ſe dedit, ſicque omnes eorum exemplo. Ecce, quomodo illud inſulſum *putabant* totum illum exercitum in errorem, in fugam, & in deditionem victoriæ impulit.

Beliſarius, & vrbs Roma.

NOn abſimilis admodum error adegit Beliſarium Patritium, vt vrbem Romam amitteret: nam cùm Totila, Gothorum Rex, vrbem obſideret, & Beliſarius per amnem ferre obſeſſis opem vellet; interim dum feliciter munimenta oppugnat, quæ Gothi in medio Tiberi conſtituerant; perlato ad eum nuncio, Iſacium à Gothis captum eſſe, quem ipſe in Portu vrbe, ad mare, præſidio vxori reliquerat: *credidit* Iſacium capi *Bap. Ful. libro 9. cap. 9.*

non

non potuisse, nisi vrbs quoque ipsa, Portus nimirum, esset amissa. Itaque nuntij atrocitate attonitus, nulla re vltrà petita, vt quomodo gestum illud esset, quod nuntiabatur, certior fieret; omissa victoria, quam pæne manu tenebat, retro ad Portum se conuertit, eo animo, vt vel illic occumberet, vel amissa recuperaret. Postea quam eò peruenit, incolumi reperta vrbe, intellexit, Isacium idcirco captum fuisse, quòd cōtra ipsius imperium, vt cum hoste congrederetur, eruperat. Agnouit igitur ingentem *errorem*, in quem delapsus erat; dum malè intelligendo, & *putando* quod non erat, feliciter cœptum certamen, in Romæ obsessæ subsidium, temere ac frustra omisit: tantumq; dolorem ex eo concepit, vt pæne ob id vitam amitteret. Duplex in hoc vnico exemplo *error belli* commissus est; quādo, præter iam dictum Belisarij errorem, etiam Isacius ipse, *putans* se rem præclarè gesturum, contra Belisarij imperium, vrbe sibi commissa, cum hoste dimicaturus, excessit: quod & Belisarium in errorem induxit, existimantem illum in ciuitate captum, atque ita & vrbem amissam: adeò vt & Belisarius dicere potuerit, *Non putaram* illum vrbe egressum; & Isacius;

Isacius, *Non putaram* mihi malèceſſuram eruptionem.

Admonitio.

EX hiſce eſt animaduertere, quàm verum ſit, quod inquit Baptiſta Fulgoſius, cùm de Mulli Cropelli errore bellico ſcribit: Multum perſæpe *error in bello* efficit, quòd hominis animus, aut metu nimio, aut cura affectus, à vero iudicio abducitur. Sed ego ſatis mirari nequeo hominum quorumdam ſupinum agendi modum & negligentiam in tantæ molis, belli inquã, prima auſpicatione, ne error obtingat; tum verò ridiculam purgandi rationem poſt errorem commiſſum: dum nempe non ſolùm infame illud *putabam* obtendunt, verũetiam ſe planè purgatos eſſe exiſtimant; dum, quomodo error acciderit, diſertis verbis narrare poſſunt.

CAPVT X.

Error diſciplinæ militaris.

IN eo præſertim hic error cõſiſtit, non quotieſcumque aliquid cõtra diſciplinam militarem cõmittitur; ſed quando quis aliquid agit, quod ad illã pertinere *exiſtimat*, & potiùs eſt eidẽ impedimẽto: vt etiã, quando ineptia & incongruitas

militiæ

militiæ à Duce cõmittitur, sub militaris disciplinæ specimine, velamento, & titulo; & est prorsus contrarium, ac disciplinæ pernicies: tametsi quoque alterius adhuc generis errores subintelligi hîc non vetamus.

Saul, & Ionathas.

PArta de Philisthæis per Ionatham filium Saul Regis insigni victoria, & populo Israel, antea palabundo, iam iterum in vnum collecto, & per hanc victoriam redanimato; Saul (nescitur quo spiritu) in *speciem tamen disciplinæ militaris*, adiurauit populum, præco-
1.Reg.14. nis voce edicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem. Ionathas autem, eius edicti ignarus, extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, quod erat super faciem agri, & comedit, & illuminati sunt oculi eius: *nam & ipse & omnis populus defecerat præ inedia*. Cumque ab alijs adiurationis paternæ, parum paternæ, conscius fieret, respondit: *Turbauit pater meus terram*: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paulu-

paululum de melle isto: quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit! nónne maior plaga facta fuisset in Philisthijm?

Admonitio:

FEruntur hoc modo nonnumquam ductores exercitus; & impetu quodam spiritus vehementioris, per modum disciplinæ militaris rigidioris interdum, interdum verò laxioris, constituunt, ordinant, imperant, exequuntur; quod successui bellico, & ipsi quoque arti militaris disciplinæ est planè contrarium; præsertim quando maturi consilij trutina & prudēti libramine res suas non ponderant. Sic etiam prorsus cum disciplina militari pugnat, quando militiæ Duces & Gubernatores exercitus castris, arcibus, oppidis, munitionibus, abunde prospectum *existimant*, dum exiguo milite, mutilato stipendio, triduali commeatu, armis inualidis loca prædicta munierunt: atque si curæ illis solūmodo foret, ne eadem loca se sponte sua ad hostem recipiant; non autem, ne ab hostibus expugnentur, vel aliquo modo intercipiantur. *Putare* illud, insipientiæ plenum, eiusmodi & pæne omnes errores in bello parit.

Iudas Machabæus.

1. Mach. 9. ERror quidam disciplinæ militaris (salutis tot tamque illustrium victoriarum trophæis) in postremum Iudæ Machabæi cum hoste conflictum visus est per inuidiam bellicæ gloriȩ tam eminentis voluisse irrepere. Quando namque derelictus à suis, & ab hostibus impetitus, cum paucis admodum viris, bellum redintegrando, ita cornu dextrum hostilis exercitus, quod fortius ei videbatur, adortus est, vt illud contereret; dum in fugam actos auidiùs insectatur, dedit à tergo vulneri locũ, & à cornu sinistro eum intercipiente est profligatus. Disciplinæ militaris speciem referebat industria cornu validius confringendi, & fusos insectandi auiditas, victoriæq; adblandientis prosecutio: sed absoluta disciplina requirebat, etiam tuta timere, multoque magis futura prospicere. *Non* enim *putabat* cornu sinistrum à tergo sibi structurum insidias, cùm dextrum vidisset elidi.

Pugna Cannensis.

PAr error disciplinæ militaris Romanos ad Cannas inuoluit, præter illum qui per Pauli Aemilij ab equo descēsum obortus

obortus est. Romani (inquit Plutarchus) effuso cursu in hostem delati, dum vrgendo cedentes in medium coeunt; occasionem dederũt Pœnis, vt ex vtraque parte concluderentur: duobus scilicet quasi Lunæ cornibus Romanos intromissos circumcingendo. Machabæi vno cornu, Romani duobus, à tergo conclusi, intercepti victique sunt: summa, *Non putaram*, hoc mali patrauit. *Plutarch in Hannib.*

Lamachus, & Dux quidam.

LAmachus castigauit aliquando quẽdam è Ducibus, qui in officio suo militari circa disciplinam deliquerat: & cùm ille in sui excusationẽ diceret, quod pueris vapulaturis in ore esse solet, In posterum istuc non committam; Non licet (inquit) in bello bis errare. *Error* enim in *bello*, mors est. In posterum non committes? in posterum non vapulabis. *Stob Ser. 52.*

Iulius Cæsar.

DVm Baptista Fulgosius, Valerium imitatus, Iulium Cæsarem moderatæ militaris disciplinæ singulare fuisse exemplum testatur; eadem opera in immoderata agendi ratione non mediocrem *disciplinæ militaris errorem* subesse *Bap. Ful. libro 2. cap. 2.*

declarat: dum videlicet aliquando vel seueriùs frena arctantur, vel laxiùs remittuntur. Ita enim (inquit) interdum crudelitas bonos milites ad indignationem permouet, vt eos nimis sæua irritent frena. Et de Cæsare loquens; In milite (inquit) non Philosophorum austeritatem, sicut nonnulli duri militaris modestiæ exactores, sed ciuilem modestiam ac virtutem ad res gerendas requirebat. Quòd si nimia indulgentia milites ad contumaciam descendisse animaduertisset, aut seditionem in exercitu mouere; (quæ *militaris disciplinæ* mortiferum est venenum) ceu bonus insessor, moderatè frena contrahendo, militare imperium sibi vendicabat. Hęc de Iulij Cæsaris accurata disciplina; ad cuius obiectum, defectus eiusdem disciplinæ in delinquentibus, elucescit & redarguitur.

Admonitio.

MAgnus haud dubiè est *error disciplinæ militaris*, tum quando militibus negantur stipendia, & tamen seueritas in eos exercetur; tum quando loco stipendij, etiam in amicos prædas agere permittuntur, & hostiliter agere. Aurelianus Imperator insignem aduersum *Fulg. lib. 2 cap. 11.*
Heuen-

Heuentium ſcripſit epiſtolam ſuo vicario, hunc in modum: Si Tribunus eſſe vis; aut potiùs, ſi tibi vt viuas curæ eſt, fac militum manus ab alieno contineas: nemo alienum pullum accipiat, alienam ouem tangat, ab aliena vinea vuam decerpat, aliena ſata calcet, oleũ, ſalem, ac ligna petat, taxato ei commeatu contentus maneat. Ita Aurelianus de militari in eo genere diſciplina ſeruanda.

CAPVT XI.

Error opinionis.

NAturam erroris iſtius, & affinitatem cum ceteris communẽ vt paucis enucleemus; ſciendum in primis, nos hîc illum opinionis errorem non tangere, per quem à ſaniore ſapientiũ ſenſu aliqui erronea ſua opinione diſſentiunt; quemadmodum ſophiſtæ à ſana Philoſophorum ſententia, & hæretici ab indubitata Eccleſiæ fide, per falſas hæreticaſq; opiniones, recedunt: ſed de errore opinionis ſeu potiùs opinationis ſermo eſt nobis; quam exiſtimationem, perſuaſionem, &, cœpto iam loquendi modo, *putationem* vocamus. Proprius autem hoc ſenſu error opinionis, ſi quis

alius, eſt noſtro propoſito ſeruiēs; quando res aliter euenit, quàm euenturam aliquis opinabatur: adeò, vt, quemadmodum omnibus iam dictis, dicendis, excogitandiſque erroribus eſt communis; ita eſt errori euentus plane connaturalis, ne dicā prorſus idē. Quid enim eſt differentiæ, aliquid euenire aliter quā opinabar; vel me aliter opinatū fuiſſe, quàm euenerit? Et hi duo errores (aut potiùs vnus atque idem in duobus conſiſtens) primarium totius tractatus ſcopum attingunt, qui eſt, *putandi, opinandi, exiſtimandi, arbitrandíque* ſtultitiā ac fallax veſtigium propalare, & iuratum in illud *Putabam* odiū in animis omniū cōcitare, quo illud hoſtiliter deteſtētur & fugiant, immo in ſe quiſque radicitus exterminet. Eapropter poſtremo hoc ſecundæ partis capite, quia commune eſt reliquis argumētum, paulo plura referemus exempla: poſt quæ *farraginem* quoque *uariorum errorum* per modum corollarij ſubnectemus, ſicque parti huic finem imponemus,

Goliath

Goliath, & Dauid.

PRimus exempli gratia procedat in medium Goliath, qui *opinabatur*, Dauidem humana tantùm virtute subnixum, medijsque communibus communitum, se contra procedere: eaque *opinione* fretus, superbè iactabat, se carnes ipsius daturum escas volatilibus cæli & bestijs terræ; & planè in contrariã partem sors cecidit, cùm Dauid diuina fretus potentia ipsimet proprio acinace caput ademit, & carnes ipsius ac Philisthinorum bestijs deuorandas dedit. 1. Reg. cap. 17.

Diabolus, & mors Saluatoris.

ITa *putabat* & *opinabatur* diabolus, se per Christi Saluatoris nostri mortẽ, quam idcirco ardentissimè sitiebat & procurabat, de vniuerso genere humano triumphaturũ: sed ipso *opinione* sua frustrato; & Christus victus victor euasit, & de suo victore mortuus triumphauit: Dux vitæ mortuus regnans viuus. Coloss. 2.

Holofernes, & Iudith.

TOto iam animo per occultos oculorum meatus Holofernes cõnubium Iudith combiberat, nihil vt dubitaret, quin illam tam pulchram, tam sapien- Iudith cap. 10. &c.

tem, & omnibus modis gratiosam esset habiturus, immo iam nactus esset vxorem; *ita opinabatur*: sed cùm & amore & vino ebrius totusque absorptus præ tantæ felicitatis existimatione iaceret; ab ipsamet Iudith ei proprio ense amputatũ est caput, & inanis opinationis *putatiã* veram ei (vt ita dicam) procudit *amputationem*.

Operarij in vinea.

Mat. 20. ERror *opinionis* & ille fuit, quãdo operarij, qui primi in vineam missi fuerant, videbant nouissimis denarium dari: *arbitrati* sunt enim, quòd plus essent accepturi; & cùm ad illos est ventum, acceperũt & illi singulos denarios: non habito quidem respectu, quid ipsi sibi ex vana sua *opinatione* pollicerentur; sed quid pater familias illis pollicitus fuerat, cùm conduceret.

Apostoli in primo tirocinio.

Mat. 24. ITa & Apostoli in primo adhuc tirocinio cum Christo conuersantes, *opinione* sua frustrati sunt; quando *existimabant* quòd confestim Regnum Dei manifestaretur, quodque illud futurum esset instar aliorum terrenum atque temporale: item, quando *existimabant* se spiritum
Luc. 24. videre;

videre; Christum rediuiuum, phantasma esse. Sed errorem illum, edocti, & agnouerunt & correxerunt.

Eunus, & Barchochabas.

IMpostores hi duo, Eunus Syrus, & Barchochabas Iudæus, populo quæcũque volebant persuasuri, præsertim quæ facultatem humanam superare viderentur; in ore inclusam nucem cum sulphure atque igne gestabant, adeò vt loquentes persæpe flammas verbis mixtas effundere viderentur: qua arte in magnam apud vulgus *existimationem* venerunt; vt *putarentur* diuino aliquo numine freti dicere quæ dicebant. *Bap Ful. libro 7. cap. 3.*

Alexander, & Anaximenes.

ALexander aliquando egregiè lepideque prudenti (vt *opinabatur*) sed maiori melioríque Anaximenis vaframẽto euersa *existimatione* deceptus fuit. Cùm siquidem ad Lampsacenæ vrbis excidium summo studio ferretur, progressumque extra mœnia Anaximenẽ præceptorem suum vidisset: quia manifestũ *videbatur*, futurum, vt preces suas eius iræ opponeret; non facturum se quod petisset, iurauit. Tunc Anaximenes, solerter id subodoratus; Peto (inquit) vt *Val. Max. lib. 7. cap. 3.*

Lampſacum diruas. Hęc velocitas ſagacitatis, oppidū vetuſta nobilitate inclytum, exitio, cui deſtinatū erat, ſubtraxit. *Putabat & opinabatur* Alexander, Anaximenem petiturum, eidem vt parceret: petiuitque ruinam: atque ita manſit illæſum, quia iurauerat Alexander, ſe non facturum, quod Anaximenes, tametſi eius præceptor, eſſet poſtulaturus.

Cleomenes, & Argiui.

Fulg. lib. 7. cap. 3.

CLeomenes, Lacedæmoniorum Rex, cùm ſeptem dierum inducias cum Argiuis feciſſet; tertia nocte, cùm Argiui ſecuriùs agerent, nihilque prorſus per id tempus verentes, in vtramque, vt fertur, dormirent aurem; Cleomenes incautos adortus, magnum eorum numerum cecîdit, atq; cœpit. Cùm autem eum perfidiæ Argiui arguerent; ſeptem dierum inducias ſe dixit pepigiſſe, de noctibus nullam prorſus feciſſe mentionem.

Admonitio.

QVemadmodum indignum Lacedęmonijs tam proditorium facinus; ita prorſus indigna quibuſdam generoſis heroibus aſtuta cum hoſtibus agendi ratio, quando fidelitati & pacto fœderi

fœderi derogaretur. Nam vt verbis ita & factis stabilienda est veritas;qua,non obstantibus hæreticorum calumnijs, profitemur, datam etiam hæreticis fidem seruandam.

Saltem Argiui *opinione* sua frustrati sunt:quia *putabant* se etiam noctibus (vt iure oportuisset) posse esse securos:cùm ne quidem diebus illis septem ita supini esse debuerint, vt omnem illam curam seponerent, quæ prudentibus quolibet tempore commendata esse consueuit; qua consultò censent, *etiam tuta timenda* esse, & belli tempore omnia esse debere suspecta.Nam hinc est videre, quã facile sit illis fidem datam infringere, (etiam seruatæ fidelitatis prætextu)quibus nõ placet diutius obseruare. Numquam enim altera pars confœderatorũ, nisi legitima de causa,vt prætendit,fœdus dissoluit. Eoque spectant emissæ quãprimum consilij & facti iustificationes:quibus palàm ostenditur,nihil contra initum fœdus attentari; sed iustissimas causas ad hoc adegisse.Eoque communiter pallio tegitur fœda fœderis ruptio.Sed(vt bene notauit Baptista Fulgosius) hoc Cleomenes responso perfidiam suam ex parte velare voluit,quam tamen totam tegere non valuit.

Hanni-

Hannibal, & Afri.

Hieroglyph. Pierij. HAnnibal Afros decepit, fugam simulans, & vinum mixtum mandragora in castris suis sponte relinquens: quod cùm auidiùs ab Afris epotaretur, in somnum inciderunt, instar mortuorum; & à fuga reuersus, omnes interemit. Quid errori prætexerent, si cæsi rogati loqui possent, nisi; *Putabamus & opinabamur* eum verè fugisse, vinumque sine vllo periculo à victoribus potuisse exhauriri? Sicque omnes responderēt, quocumque stratagemate circumuenti; habetque in omnibus similibus locum *error putandi & opinandi.*

Cinna, & eius exercitus.

Fulg. lib. 9 cap. 9. QVid etiam causæ fuit, cur in Cinnam Consulē eius exercitus apud Cumas ita sæuierit, vt eum, nulla re antè acta vt certior fieret, interemerit; nisi quòd *arbitraretur* Pōpeium, adhuc adolescentem, qui in castra venerat, atque inde clàm abierat, Cinnæ opera interfectum esse? Rogatus exercitus, eius necis auctor, quid diceret, nisi; *Putabamus* ita esse?

Prætoriani milites.

Bap. Ful. libro 9. cap. 9. SImilis error opinionis Prætorianos milites pæne eò deduxit, vt Augustus ipse ab eis occideretur. Nam cùm ludos

In theatro ſpectantes *arbitrarentur* quemdam ex commilitonibus, quem Auguſtus per apparitorem amoueri iuſſerat, (equitum enim ordinibus locus ille, vbi conſederat, debebatur) Auguſti iuſſu interfectum eſſe: coorto tumultu, parum abfuit, quin ipſum Auguſtũ interimerẽt. Sed remedio fuit; quòd is, quẽ interemtũ *putabant*, incolumis repentè cõparuit. Quid igitur illi quoque, ſi tantũ facinus per illum *errorem opinionis* perpetraſſent, rogati reſpondiſſent, niſi; *Putabamus?*

Laertis Regis Veientum ſatellites.

SIc habet de iſtis Valerius Maximus: Ceterùm, *falſa opinatio*, neſcio an præcipuam iniuriã Laertis Tolumni, Veientum Regis, penatibus intulerit. Nam cùm in teſſerarum proſpero iactu per iocum colluſori dixiſſet, *Occide*, & fortè legati Romanorum interueniſſent; ſatellites eius, *errore vocis* impulſi, interficiendo, luſum ad imperium tranſtulerunt. *Putabamus*, hîc etiam errori tanti mométi prætexeretur: quid etenim aliud dicerent interrogati? *Val. Max. lib. 9. cap. 8.*

C. Caſsius, & Titimius centurio.

C. Caſſium error à ſemetipſo pœnas exigere coëgit: tanta eſt erroris *opinationiſq́;* inſidæ temeritas ac violentia. Cùm *Val. Max. libro 9. cap. 9.*

Cùm enim Titimius centurio ab eo nocturno tempore missus esset, vt specularetur quonam in statu rés M. Bruti essent; quòd *opinione* diutius in ea functione retardaretur, eum ab hostibus interceptum *existimans*, finire vitam Cassius properauit: cùm è contrario, & castra hostium capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent. *Putabam*, in culpa fuit, quò se ipse occideret.

Anacharsis Scytha.

Lib. 7. Apoph. 70. ANacharsis Scytha, quòd Scythæ olei vsum non ita nossent, nec apud eos proueniret, videns athletas oleo vnctos in se inuicem insanire, oleum dicebat venenum insaniam gignens, & homines ad insaniam redigens. Aut itaque *per errorem opinionis putabat* oleum esse causam insaniæ; aut certè (quod est verisimilius) se id ita *existimare* simulabat; vt efficaciùs insaniam in se mutuò sæuientium redargueret.

Admonitio.

VErius id nostro orbe & tempore de vino diceretur, quod potatum homines in insaniam redigit; atque ita omnem in ijs veri hominis & rectæ rationis statum euertit, vt non solùm brutis ani-

animantibus cōparari possint, verumetiā in omni irrationabili fœditate illa longè supergrediantur. Vt rectè proinde dixerit Seneca; Ebrietatem nihil aliud esse quàm insaniam voluntariam. Et dum istud *putamus*, nihil hîc à scopo aberramus. *Seneca epist. 84.*

Philippus Macedo, & Diogenes.

CVm Philippus exercitum haberet apud Cheroniam; venit eò Diogenes, & à militibus comprehensus adductus est ad Regem. Qui conspecto Diogene ignoto, iratus, exclamauit; *Explorator! Error* erat *opinionis*; quia *putabat* ita esse. Cui Diogenes, Prorsus (inquit) explorator: nam huc veni inspecturus insaniam tuam; qui non contentus regno Macedonum, aliena captans, temet in discrimen conijcis, ne & regno & vita priuêris. Rex admiratus hominis libertatem, iussit illum abire liberum. *Lib. 3. Apoph. 72.*

Dionysius, & insidiatores.

HOspes quidam aiebat se velle cum Dionysio priuatim colloqui: demonstraturum se, quomodo posset præscire, quinam ipsi molirentur insidias. Rex admisit hominem, iussitque *Apoph. libro 5. apoph. 61.*

dicere,

digere, semotis arbitris. At ille; Da mihi (inquit) talentum, vt *existimeris* à me audisse insidiatorũ indicia. Dedit, ac simulauit sese audiuisse; admiratus hominis commentum. Nam fucus ille vehementer vtilis erat ad deterrendas insidias. *Putabant* siquidem insidiaturi se prodendos secreto illo artificio, quod hospes suggesserat, vt *opinabantur*. Sed error hic vtilis fuit tum Regi, tũm subditis; vt & error Philippi Macedonis, quo *putabat* exploratorem habere Diogenem, quem habuit *admonitorem*.

Macareus, vxor eius, & filij.

VErùm, priusquam titularis *errorum farrago* in exemplorum decursum se importuniùs ingerat; sub finem hîc (triariorum loco) exemplum constituã, quod vnicum multiplici nefandorum exemplorum *putandi & opinandi* refertũ est cõgerie: in quo, quasi in theatro, contẽplari licebit, quã scelestũ, quàm barbarum, quámque omnibus modis in extremas orbis oras relegandum sit illud exitium, vel obuia quauis runcina amputandum; odiosum, inquam, illud *putabam*. Exemplum autem est tale: Mitylenensis quidam sacrificulus, nomine Macareus, dum in ceremonijs suis festalibus

Ælian. Var. hist. libro 13.

bus occuparetur; duo filij eius domi relicti, patris immolationem imitaturi (*putabant* id siquidem esse laudabile) iunior collum præbebat; adultior verò, æruginoso reperto ense, fratrem ad similitudinem victimæ mactauit. Mater, audito clamore turbatæ familiæ, exsilijt; videnſque trucidatum alterum, alterum ensem recenti sanguine cōspersum manu tenentem, arrepto ex altari torre, superstitem filium interfecit: *putabat*, non lusu puerili, sed per scelus spontaneum factam cædem, cæde piandam. *Macareus*, accepto tam funesti casus nuncio, relicto sacrificio, quàm potuit furentissimo impetu & iracundia in ædes insilijt, atque tæda, quam in manu habebat, vxorem occidit. Quid & ipse, rogatus causam, aliud dicat, quàm; *Putabam* tam indignum facinus sic vindicandum? Secretum interim violatæ hospitalitatis & fidei datæ scelus, nefarium hominem & in hæc mala & in acerbum tandem mortis supplicium adegerat.

Admonitio.

VIdemus igitur ex inuiso sceleratoque hoc surculo, ac maligna propagine, omne *errorum* genus, instar infelicium germinum, longè lateque pullulare. Quod, quemadmodum in produ-

ctis hucusque exemplis quasi ob oculos positum licuit contemplari; ita dein infinitorum errorum farragine, qui singuli sexcentos alios ex alijs emanantes in memoriam, etiam non cogitanti, (intumescentis exundantisque fluminis in modum, quod fractis obicibus impetu in latum fertur) sinemus erumpere, totumque confertim adimplere, quidquid hucusque dictis defuisse potuerit: quò scelestum hoc execrandumque *putabam* suorummet criminum pondere & culparum mole obruatur, obrutum pereat, & perdere desinat.

FAR-

FARRAGO ERRORVM.

ex infausto illo *putabam* nascentium.

Procemium.

QVemadmodum iam certis quibusdam (omnium instar) exemplis in secundæ partis decursu ostendimus, omnimodũ ferme errorem ex eo contingere, quòd in rebus agendis, loco maturæ prudentiæ & cautæ circumspectionis, satis sit nobis communiter, si *putemus*, & (licet temere) *speremus*, hoc pacto feliciter successurum negotiũ; quod prima tractatus istius parte inscitiæ & supinæ oscitãtiæ esse docuimus: ita nunc per modum corollarij, *farragine* quadam *errorum* vulgarium & q̃ cotidie propemodum accidentium, hoc ipsum adhuc dilucidiùs demonstrabimus; atque infame illud *putabam* domi forisq́; persequemur; & quasi *errorum* ipsius congesto aggere, & agmine conglomerato, obruemus: vt (quantum in nobis erit) quod nullo non loco, nullísque non rebus, se impudentissimè ingerit, & cuncta perturbat; nullibi etiam tutò

delitescere ac pacificè agere permittatur. Incerto ordine, farraginis modo, varios quotidianos errores congeremus; vt eorum intuitu & exemplo constet, ex hisce manifestum euadere, nihil ferè in vniuersum erroris committi priuatim aut publicè, quod non ex hac malorum fœta aluo, *putabam*, tamquam ex *equo Troiano*, proueniat, si bene aduertimus. Futurũ est autem, si præfixum mihi scopum attigero, neque me hîc quoque istud inuisum *putabam* fefellerit; vt, quisquis sibi rebusque suis consultum voluerit, in hisce, tamquam in speculo, sit contemplaturus, an non frequenter & ipse in quotidiana agendi ratione in hoc *putabam*, tamquam in saxum, impingat; vtque errore notato, & diligentiùs obseruato, euadat prudentior: itaque præmeditatè procedat, vt non ampliùs in hanc ignominiæ labem cadat, vt fœdũ errorem fœdiori illo velamine tegere debeat, dicendo; *Non putaram*. Hic & *farraginis* & totius *tractatus* scopus.

FAR-

FARRAGO ERRORVM ex *putabam* nascentium.

1. SVmsit diebus elapsis vir quidam pro pharmaco toxicum; & disruptus est miser. Quid venit illi in mentem? *Putabat* remedium.

2. Aliusemplastricum quoddã alexicacon, tamquam amuletum vel à collo gestandum, vel pectori deforis applicandum, comedit; & extinctus est illico. Quis tam imprudẽti facinori consilium dedit? Ore sumendũ *existimabat*.

3. Vicinus meus heri conscendit gelu constrictum flumen; & scissa glacie, absorptus & mersus est. Dolendum exitium! Non *putabat* frangendum.

4. Furcæ, patibula, cruces, rotæ malignorum hominum grauantur corporibus; & adhucdum fures furantur, homicidæ grassantur, proditores non dormiunt. Quid malũ ita malos in malum audaces facit? *Putant* facinus latiturum.

5. Vicini cuiusdam domus inopinato nuper hiatu conuulsa tota concidit. Quare non tempori prospectum fuit? Non *arbitrabatur* tam caducam.

6. Amicus elapsa septimana paululum solito peiùs valere cœpit; dumque prin-

cipijs non obstatur, inualescente paulatim malo, extinctus est. Quare non fuit occursum statim? Non *putabant* tantillum mali tanti faciendum.

7. Res magni momenti nuper ab vrbis Præfecto, à Duce exercitus, à Tribuno neglecta, ah quantum vereor, ne in Reipublicæ perniciem vergat! Quid culpæ prætendit, qui auctor est huius mali? *Putabam*, inquit, illum eius rei curam habiturum, cui commiseram. Et quid ille prætexit incuriæ? *Putabam* vicarium meum curaturum. Quid tandem vicarius? *Putabam* substitutum meum non defore officio. Quid denique substitutus obtēdit? *Non putaram* tam præsens periculum, tam vicinū hostem, tam malè huic rei prospectum; tantum damni ex tam paruo errore potuisse emergere.

8. Politia Reipublicæ concidit, administri dormitant, muneribus vigilant, sunt socij furum, plebem vt panem deuorant; quique eam regere, munire, & & ornare debebant, pessumdant. Quid audio? Et quid dicant qui primas tenent? *Putabamus* esse fideles, iustos, æquos & diligentes, quos rebus gerendis præfecimus.

9. Impegit nuper nauis in scopulos, dissilijt, vndis absorpta est. Quid ita? *Pu-*

tabam

tabam me peritum nactum nauclerum, sed damno meo sapere didici: neq; ego ab illo aliud habeo, quàm; *Non putaram* illic latêre scopulum.

10. Filia cuiusdam vicini mei circumuenta, permissaq; liberius agere, pudoris iacturam fecit. Proh dolor! Quomodo ita bona virgo suæ curæ relicta fuit? *Putabat* parens fideliorem, castiorem, fortioremq;, quàm vt sibi à quoquam imponi permitteret.

11. Vxor eiusdem processit in publicũ, confidentiùs alienos maritos inuisit, vel etiã domi licentiùs sola permissa est, & facta est adultera. Deus bone, quid hoc est rei? Vir autem quid inquit? Numquam *putassem* talem esse.

12. Est alius non multo felicior priore; qui, postquam vxorem duxit, deprehendit morosam, superbam, rebellem, loquacem, impuram, & planè immorigeram. Quî sic? *Putabat* honestam, modestam, obedientem, probam, & planè aliam quàm est.

13. Emi ego nuper equum strigosum, morosum, phantasticum, sternacem, succussarium & prorsus refractarium. Quid huic errori queas obtexere? *Putabam* esse præstantissimum.

14. Conduxi seruum, & habeo furem.

Quid ita? *Putabam* fidelem.

15. Exstruxi palatium; plantaui vineas, thesauros recondidi; horrea, cellaria, & promtuaria cuncta bonis repleui: & ecce morior. Quid causæ fuit? *Putabam* me, si non semper, saltem diu victurum, nec tam citò moriturum.

16. Aedificaui mihi sublimem domum, excelsam turrim, & contignationes excellentes: & ecce, ruinam minantur, immo magna ex parte conuulsa sunt. Quid audio? *Non putabam* tam debile fundamentum.

Cœpi alibi alia ædificare, & non potui consummare. Quare? Non sedi priùs computans sumptus, qui necessarij sunt; neque *putabam* tam multa requiri ad perficiendum.

17. Profectus aliquando Romam versus, toto propemodùm itinere in errore versatus sum, & tantùm non perij. Quis te in errorē hunc tam inuisum induxit? *Putabam*; putabam, inquam, me nosse viam, neque posse aberrare.

18. Domus amici mei nuper inopinato incendio conflagrauit. Quid causæ? *Putabat* focum, lucernas, & lampades in tuto esse; & paruus igniculus incustoditus, candela malè extincta, sulphuratum semiustū appositum reliquis, prunæ

malè

malè sopitę in tabulatum vel lignile relatæ, arrepto fomite, flãmam fecerunt, & scintilla in vorax erupit incendium.

19. Nuper domus mea tota omnisque supellex pretiosior in spolia cessit nocturnis prædonibus. Quod malum hoc est? *Putabam* occlusas fores, & nihil non rite obseratum; & ecce, vt seruorum incuria, ita mea securitas furibus fenestram aperuit.

20. Veni in templum, sacrosanctum Missę sacrificium, diuinumque de more officium, immo & concionē auditurus, sed serius veni; tantumque opportune, vt cum alijs exirem. Quî sic? *Non putabam* tam serò esse.

21. Dum hisce diebus rosam decerpo, in spinas impegi. Quare non cauisti? *Non opinabar* tam pulchro flori tam coniunctos sentes insidiatores.

22. Moui nuper lapidem loco, & illico exsiliens scorpius me impetijt. Cui imputes, nisi tibi? *Non putaram* sub omni saxo latêre scorpium.

23. Ab amico vocatus ad epulũ, vehemētiùs solito à vino sum captus, & largiùs sumtæ dapes grauarunt ventriculum, vt à morbo pericliter. Quare non fuisti frugalior? Non *arbitrabar* vinum tam præstans: & *putabam* tam bo-

nas delicias non posse officere sanitati.

24. Dedi diebus præteritis cuidam amico mutuam non paruã pecuniæ summam; dumque secundùm pactum diem hanc repeto, verba dat, & mutuum negat. Quare non fuisti circumspectior? *Putabam* amicũ esse, & virum probum: nunc autem intelligo esse impostorem; cuius est diurnum opificium, sub prætextu amici, homines fallere, & æs emungere.

25. Dedi nuper & equum meum mutuò cuidam vicino; & pro generoso deprauatũ & prorsus degenerem recepi. Quid fuit in culpa? *Putabam* bonum & peritum sessorem esse; & , vt audio, meoque malo experior, est merus destructor equorum.

26. Vitilitigator quidam molestam mihi intendit litem, & post exhaustam ingentem pecuniæ vim, longasque dolosas protelationes & varias spes, cecidi causa. Quid fuit erroris? *Putabam* me nactum fidelem patronum, fauentem, vel æquum saltem iudicem, & diligentem procuratorem. At dum securiùs cunctis indormio, & in causæ æquitate confido & conquiesco; alius solers inuigilans, etiam muneribus vt arietibus & tormẽtis bellicis omnes expugnauit.

27. Dum

27. Dum alia in causa mihi meliùs cõsulere studui, ad munera quoque danda cõfugi: itaque pulchram rhedam bene instructam donaui; & nihilominus etiam illã litem amisi. Quî sic? *Putabam* quòd rheda mihi causam adiudicatam aduehéret; sed responsum est: Rhedam ab equis, non equos à rheda trahi solitos, sicque oleum & operam perdidi.

28. Sitibundus & æstuans nuper domum reuersus, arripui poculum, bibi, & erat acetum. Quorsum illud egisti? *Putabam* vinũ esse, vel certè cereuisiam.

29. Dum aliàs rus concederem, & vltra fossam baculo mihi saliendum esset; scipione confracto in aquas delapsus sum. Quin sapiebas? *Non putabam* tam fragilem, & ex parte luxatum priùs.

30. Diebus elapsis attriui pedẽ, lęsi caput, sensi febriculam, adhibui cuiusdam consilio nescio ex quibus confectum remedium; & res iuit in peius. Quid venit in mentem, vt crederes imperitis? *Putabam* consultum & bonum.

31. Non parum mihi periculi ab hæresi fuit, dum familiaritate cuiusdam satis diù vsus, tandem deprehendi hæreticum, postquam iam pręmissis amici specie lenocinijs, magnam animi mei partem sibi deuinxisset. Quid hoc est rei?

Non

Non putabam esse hæreticum, nec tam periculosum cum eiusmodi conuersari.

32. Vendidi elapso vere vilissimo pretio vniuersa mea sata, totamque messem in herba: & video iam me horrende deceptum. Quis te decepit? *Putabam*; putabam, inquam, fore annonæ vilitatem, & ecce est maxima caritas.

33. Sed è contrà aliàs idem coëmtor similem prematurã messem carè admodũ emit; & ne solus miser essem, maiorem me ille iacturam fecit. Quid ita? *Putabat* ingentem fore caritatem annonę; abundantia verò peperit vilitatem.

34. Dux quidam belli elapsis diebus stratagemate attentato turpissimè est frustratus, quod tamen in speciem dixisses adornatissimum. Quid obfuit? *Putabat* secretum, & à complice vno fuit detectum. *Putabat* hostem vino somnóque sepultũ reperire, & reperit vigilantissimum. *Putabat* deniq; arcem carere prę-sidio, commeatu destitutam, & fore omnia peruia; & euetus contrarium docuit.

35. Alius belli præfectus, cum hoste conflicturus, post multum apparatum, vix hoste conspecto sibi fuga consuluit, magno exercitus damno, suique honoris & vitæ periculo. Quid erat in mora? *Putabat* imparatũ hostẽ prępoccupare, sed

expectatus aduênit: *putabat* se decem millia militum sub signis habere;& vix quinque inuenta sunt,signis vix pro media parte plenis: *putabat* suos ab omni bellico apparatu instructissimos, & deerat puluis tormẽtarius; deerant Capitanei aliquot, deerat equitatus, deerat ordo,deerat animi. O nefandũ *putabam*, quid non vbique locorum patras mali?

36. Amisimus iam recèns magno nostro malo fortissimã ciuitatem N. quàm nobis proficuam & necessariam, tam hosti tremendam & formidabilem hactenus; amisimus, inquam, munimẽ tutissimum toti patriæ. Quî sic? *Putabatur* esse vir probus,fidelis, militaris, &prudens, qui præerat; & erat homo ignauus, infidus, proditor, & proprij commodi amantior, quàm publicę vtilitatis, & salutis patriæ.

37. Iam ante annos aliquot amicus quidam meus filium suũ cuidam ludimagistro commiserat,vt bonis moribus litterisque imbueret; & quando iam omnia bene considerantur, & malis est præditus moribus,& secretò laborat hæresios peste; vt non parum infecta sit illa tenera ætatula illius spurcitijs & nequitijs. Quid eum mouit vt ei concrederet? *Putabat* esse virũ Catholicum & probum.

38. Heri,

38. Heri, diſploſo per iocum ſclopeto, amiciſſimū ſibi congerronem traiecit. Qualénam illud tam peſtilés feſti bombi genus? Non *putabat* glande onuſtum.

39. Occidit diebus elapſis (proh nefas!) frater fratrem, ſed caſu inopinato. Quid illum huc impulit? *Putabat* hoſtem tenebrarum obtentu ſibi inſidiantem.

40. Amiſi crumenam; neque ſcio quo pacto. Quis caſus tibi eam ademit? *Putabam*: putabam ſiquidem me ſacculo impoſuiſſe, & forte ad latus retruſi, vt exciderit.

41. Volebam nuper inchoatum incendium iniecta frigida conſopire, & magis accendi, tectumque corripuit. Quid venit in cauſam? *Putabam* eſſe aquam, erat *oleum* quod inieci; atque ita verè oleum camino addidi.

42. Vidi præterita ſeptimana qui leonem per caueæ clathros manu blanda demulceret, & arripuit manum, vt auulſionis periculum immineret. Quænam fuit illa imprudentia? *Putabat* ludere, & feriò egit leo.

43. Profectus ante aliquot menſes Antuerpiam, inueni occluſas portas, & magno meo tædio ac damno foris illa nocte manendum fuit. Quid ita? *Putabam*

bam plus diei supereſſe, & ita hæſi in via, in taberna, non ſatis acceleraui.

44. Nuper cuidam viro ſecretũ aperui; & cùm omnia excepiſſet, aduerti illum eſſe, cui minimè dictũ volueram. Quare feciſti? *Putabam* amicum habere.

45. Vas quoddam impleri curaram vino perquam præſtanti; & manè totum effluxiſſe reperio. Dolendum caſum! *Putabam* vas eſſe ſcapha obturatius, & erat rimarum pleniſſimum.

46. Nuper opiparam & dapſilem menſam inſtruxeram, ſumtus ingentes feceram; & denique totum fruſtra. Quid fuit in mora? *Putabam* me conſulem fore, aut etiam regulum, ita me ſpes lactabat, & fruſtratus ſum omnibus.

47. Munera aliàs elargitus ſum plurima & maxima, vt me pæne exhauſerim: & ſenſi poſtea, quòd (vt dicitur) vallus vitem decepiſſet; iſque me ſpe mea fruſtrauerit, à quo pendebam maximè. Quid erat negotij? *Putabam* me fore præfectum militiæ, vrbis, & orbis: ſed bolus ille mihi è faucibus eſt ereptus ab alio, qui potiora tormenta muris adhibuit, & perfregit.

48. Nuper vacabat officium, beneficiũ, præbenda, prælatura; & magnis effuſis muneribus, obtentoque fide bona promiſſo,

misso, nihil addubitabam quin obtinerem, & rursum fefellit opinio.. Qui sic? *Non putaram*, fidem dare, esse verba dare, sicque aureo hamo piscatus sum; & dum piscis hamum cepit, me decepit.

49. Præterito mense accessi ad ædes primatis, ad prætorium, ad palatium, ad curiam; spe magna nixus ac promissis suffultus, quasi gestatus fautorum humeris, immo volans fauorum pennis: & res omnis in fumum abijt. Quid hoc audio? *Putabam* me esse albæ gallinæ filium, & sum coruo similior.

50. Diebus elapsis mutuum ab amico petebam; immo spes magna affulgebat, dono daturum: sed vt vacuus veni, ita vacuus abij; nisi quòd me conuicijs oneratum remitteret. Quid causæ fuit? *Putabam* me fontem inuenturum, & reperi pumicem ex quo aquam speraram. Neque hoc satis memineram:

Pollicitis diues quilibet esse potest.

51. Amicos inueni, proh dolor! qui in prosperis me colebant, nunc in aduersis destituunt. Malè consultum tibi. *Putabam* fore stabiles; nunc video solùm felicibus multos esse cognatos.

52. Olim mundo mundanisque delicijs quamplurimum oblectabar; nunc autem video me malam messem ex labore

bore illis impenſo metere. Quid ita? *Putabam*, quòd ſicut orbis figuræ eſt ſphæricæ;ita & mundum per omnia eſſe ſui ſimillimum,rotundum, ſincerum, ſine næuo, ſine fraude doloq; : nunc autem,vt experior,eſt quauis rupe præfracta ſalebroſior,quouis Euripo incõſtantior, vulpecula quauis callidior, Proteo mutabilior, quouis labyrintho anfractuoſior, glacie quauis fragilior & lubricoſior, plus fellis quàm mellis habens. Hinc fit, vt vix toto hoc orbe ponam veſtigium, quin mihi vel à lapſu, vel ab errore, vel à fraude periculum, illud inuiſum *putabam* minitetur. Et ecce, quàm cateruatim & quaſi facto agmine me vndique impetit.

53. *Putabam* cum Tiſandri filio, in cœtu Nympharum, ſaltando, geſticulando, & ſermocinando, primas referre; & fui deriſus ab omnibus, eiectus, exſibilatus.

54. *Putabam* me neminem doctiorem, formoſiorem, nobiliorem, feliciorem, &c. & ecce inferior omnibus habeor.

55. *Putabam* me ab hominibus reſpici, ſuſpici, in admiratione haberi; eoſque ridere ob egregium meum ornatum, inceſſum, & totum habitum corporis elegantem, ac præ laude dicier: *Hic eſt.*

Iamq; intelligo, quòd me veluti fatuum ob hæc omnia derisui habeant.

56. *Putabam* me nuper à nobili domino mihi obuio coram omnibus salutari, in quo mihi mirè placebam; & intelligo, alium fuisse quem salutabat, mihi non visum tunc: & sic pudore affectus sum coram illis, qui errorem notabant.

57. *Putabam* blandiloquos, collaudatores, adulatores, & adridentes omnes, mihi verè amicos: iamq; cognoui, eosdē mihi post tergū detrahere, maledicere.

58. *Putabam* nuper in plateis & medio foro ingentem laudem referre obequitando: & in cœnum collapsus, omnibus fui ridiculo.

59. *Putabam* in quodam conuiuio celebri ministrare cuidam non sine laudis aucupio, & euerti salinum, elisi vitrum, vinum effudi, manicam lancis pinguedine infeci:

60. *Putabam* ciuilitatis gratia concinnè candelam emungere, & extinxi: totusque erubui.

61. *Putabam*, omne quod fulget, aurum esse; & vix est aurichalcum.

62. *Putabam* me in consessu honoratorū cum primis censendum; & detrudor ad infima.

63. *Putabam* me virginem duxisse, & habeo

habeo meretricem.

64. *Putabam* lucrari in mercimonijs, tesseris, decertationibus; & ecce perdo.

65. *Putabam* me statum opimiorem adepturum, priore dimisso: & vmbram captans, cum Æsopico cane, rem & carnem amisi.

66. *Putabam* cum fele, cum cane, cũ stulto, cum ebrio ludere: & seriò læsus sum.

67. *Putabam* me ad magna prouehendum; & ecce præ omnibus deprimor.

68. *Putabam* me diu victurum; & ecce morior.

69. *Putant* mali se sacrificium præstare Deo, dum bonos insectantur; & diabolo immolant, atque animas suas Orco deuouent.

70. *Putant* quoque se sat citò pœnitentiam acturos sub mortis articulum: & ecce repetina morte tolluntur è medio.

71. *Putant* denique æterna se felicitate fruituros in cælis: & ecce; ecce, inquam, *in puncto ad inferna descendunt.*

O *putabam*! Infelix *putabam*!

Quàm noxia & perniciosa est tua blãda & fallax suada, qua mortales nimiùm credulos à recto seducis in præceps! Et perfidũ tuum astum fraudemq; insidiosam non detegis; nisi quando iam seriùs

est, & tuos cliẽtes, post stultum factum, risui habere posse gloriaris! Tunc illos, pro fide tibi tuisque consilijs habita, quasi in theatro ignominiæ ad palum collocatos, inscitiam suam palàm profiteri cogis, vt dicant, *Putabam*; vel, prout res tulerit, *Non putabam*.

PARS TERTIA

QVA

Pestilens illud *putandi* germen, cum suis frutetis, *amputandum* ostenditur.

CAPVT I.

Amputandi necessitas.

HActenus abominabiles illius dolosi dicti, *putabam*, errores deteximus; non quidem omnes, (quia hoc esset & folia siluæ, vel maris arenas aut guttas, vel certè stellas cæli numerare præsumere, & lectori in *Gratiarum* despectum fastidium parere) sed tot, talesque, ex quibus luce meridiana clarius est animaduertere, vix vllũ errorem in vsu quotidiano, cùm magnis tum paruis in rebus, cõmitti, qui ex hac detestabili meritoque *putanda putandi* propa-

propagine non enaſcatur. Quibus autem neque exempla certorum auctorum variorumq; erroneorum euētuum in ſecunda huius tractatus parte producta, neque *farrago* quotidianorum errorum ſufficiunt; hoc tantùm oro obſecroque, vt penitiùs actus ſuos & occurrentia quæque euenta expendant, & ad formam hîc productorum tamquam ad amuſſim reducant explorentq; : & certiſſimum fore nihil addubito, quin propria, & toties quoties volent iterata experientia ſint deprehenſuri verum eſſe quod dico; omnem ſcilicet propemodum errorem ex erroneo illo doloſoque *putandi* germine pullulare. Quinimmo, ſi nec hoc velint ſubire moleſtiæ, (ſegniùs enim in errores proprios inuigilamus, in aliorum ſagaciùs) os ſuum tantùm & linguam propriam conſulāt; an non quotidie, in omnibus ferme erratis, pro velo quamprimum ad illud inſulſum, puerile, ac fatuum dictum conuolent, vt dicant, *Putabam*; vel, pro re nata, *Non putabam*, quod idem eſt. Certum, quòd ex proprio ore iudicabuntur, ſuoque ſe teſtimonio ſintcōdemnaturi. Quibus omnib. ſe ita habētibus, neceſſariò ſequitur, ad tam malè-fecundi germinis, tam extiabilis ſurculi, tam peſti-

feræ fruticis *amputationem* esse legitimè procedendum: hoc est, quantum fieri poterit, efficiendum, vt deinceps non tantum imperij in nos actusque nostros prætendat infame hoc monstrum, virulentum hippomanes, & execrabile toxicum; vt semper, quasi adamantinis structi compedibus, in seruili miserandoque hoc statu distineamur; quo illud exterminandum *putabam* in omni nostro campo tentoria sua castraque tam impunè, tam magno cum nostro dedecore & damno, metetur: vtque quasi in verba eius iuratis, ad vnumquemque sermonem, actum, vel motum, dicendum sit nobis (per modum tesserę ipsius bellicæ) *Non putaram*, & ita rubore suffundi. Phy, *putabam*! explodendum *putabam*! *amputandum eradicandumque putabam*! præsertim apud principes viros, viros Reip. administros, Prælatos ecclesiastici status, & Ecclesiæ gubernatores. Pueris siquidem, imperitæ plebeculæ, aut rudi tironi concedi id possit; vt, errore commisso, excusationi prætendat, *Putabam*; vel, *Non putabam*: sed, vt sapientes, præfecti, magnates, ceterorum rectores & duces dicant, *Putabam*; hoc culpa non vacat: quia suo pre se produnt, & testantur, se non

fuisse

fuiſſe prudentes, circumſpectos, & prouidos, vt omni iure debebant. Hinc noſtro *amputandi* propoſito percommodè ſeruit pręclara illa Ciceronis ſententia, qua ſic ait quarto Tuſculan. quæſtionum: Hunc *errorem*, quaſi *radicem* omnium malorum, ſtirpitus Philoſophia ſe extracturam pollicetur.

CAPVT II.

Securis ad radicem ponenda. *Matth.3.*

SEd vnde tam optandam *putationis* induſtriam ordiemur? Aliud eſt ſiquidem docere, monere, reprehēdere, corripere, & caſtigare; atque aliud corrigere & emēdare. Multa enim corripiuntur, quę non corriguntur; & multa caſtigantur, quæ tamen non emendantur. Fur enim punitur & caſtigatur, ſed non propterea corrigitur vel emendatur, vt melior fiat. Sic & incorrigibiles caſtigantur, & corripiuntur; ſed non euadunt correcti vel emēdati: menda namque & delicta puniuntur in illis, ſed non tolluntur. Itaq; vt hoc mali ac praui *putandi* erroris genus eradicetur, & eius loco ſuccreſcat prudentia, circumſpectio, & rata ſcientia in rebus agendis;

plus operę impendendum, quàm vt hoc vitium improbetur, meritiſque flagellis excipiatur: ſed *ad radicem ſecuris ponenda eſt*. Quid enim proficiamus, etiamſi quis ſolummodo ob inueteratum hoc malum vapulet, dicaturq́; ei, quod quidam ſeruo dicenti, *Non volens erraui*, dicebat; *Non volens igitur pœnas dato?* non idcirco erratum corrigitur. Nam quemadmodum vulgaris & admodum frigida eſt iſta excuſatio; Imprudens vel inſcienter feci: ita & denuo ſemper æquè obuium eſt, iteratò errare, atque iterum excuſare, dicendo; *Non putabam*. Quia igitur vigilandum eſt, ne quid imprudenter & inſcienter committatur; ideo non caſtigandum ſolummodo hoc vitium, ſed ſic corrigendum, vt à prauo deinceps ſit alieniſſimum: itaque emendandum, vt mendo tam ignominioſo non ſit vltrà obnoxium; atque ita denique amputandum & extirpandum, vt nihil in poſterum tam venenoſæ propaginis ex eo vmquam ſuppullulet. Stat ergo ſententia: deſperabundum illud deteſtandumque *putandi* germen omnibus eſſe modis *amputandum*. Siquę tantopere contra innocentem Danielem vrgebant ſatrapę legem Medorum atque Perſarum, vt omne decretum, quod conſtituerit

Plutarch in Laconicis.

Dan. 6.

Rex,

Rex, non liceat immutari: quanto magis Regis Regum dictamen seruandum est; quo manum vel pedem scandalizantem præscripsit *amputandum*! Sic namque Ioannes Cassianus, de philargię vel proprietatis vitio disserens, inquit; Non enim tam effectus philargię vitandus est; quàm affectus ipsius *radicitus amputandus*. De quo vitio sic & D. Benedictus capite 33. suæ Regulæ loquitur: Præcipuè hoc vitium *radicitus amputandum est*. *Lib. 7. cap. 21.*

CAPVT III.

Religio ad exstirpanda vitia nos adigit.

SEd, si nec ignominia erroris, se post lapsum purgãdo, magis quàm in ipso lapsu fœdantis, nec honoris existimatio, nec rei iactura, ex errato proueniens, nos reddunt prudentiores, vt excisum optemus, quod tam probrosè tamq; dispẽdiosè cum fama nostra, cum nostra fortuna, & cum persona nostra quotidie ludit; quid futurum speramus tam efficax & tanti vigoris, vt velle incipiamus, quod hucusque noluimus; vt in opus ducamus, quod tantis edocti malis necdum præstitimus?

Numę Regis Posthumia lex est; qua *ex imputata vite* libare vina Dijs, nefas statuit. *Plin. lib. 14. c. 12.*

 tuit.

tuit. Ratione videlicet iſta excogitata, vt vites ſuas putare cogerentur, aliàs pigri futuri aratores, & vineas neglecturi. Hac autem lege lata, putare cogebantur, prętextu ſaltem religionis: quia alioqui litare prohibebantur, & ſacris operam dare; quod maius nefas erat. Nunc autem, cùm meritò dubitem, num tantæ ſit energię in multorum pręcordijs Religionis diuinæ exiſtimatio, vt tam inueteratum malum huius erronei errabundique *putaminis* ſint religionis intuitu *amputaturi*: cogito mecumq; recogito, puto & reputo, an non ſit ſpes vlla medendi tam noxię peſti, vt *putabam* hoc rite putetur & amputetur, secũdùm prædictæ legis tenorem: & ecce, modus occurrit, ſi practicandi conſilij ratio tam promtè quàm præſcribendi ſuppeteret. Nimirum, vt quemadmodum iuxta legis illius dictamẽ & ſcitum, *ex imputata vite* litare vina Dijs prohibebãtur (quod illis vel ſecus facere, vel libamen omittere, religio erat:) ita hodie vinum libare & guſtare prohiberentur, donec ſilueſcentem hanc *putandi* ſtirpem, luxuriānteſque quotidie pampinos, *amputaſſent*; immo prorſus è ſuo fundo, hoc eſt, corde & ore, *excidiſſent*. Aut demum, ſi nec hoc ita ex ani-

mi

mi ſententia in actum deduci vel ſperari queat: ſaltem quoties illud ſceleratum *putabam* nouo errore repullularet; toties eo die, vel à vino prorſus abſtineant, vel tot ſibi hauſtus ſubtrahere ſatagãt, quoties etiam inter pocula illud ipſum recurreret. Sique lex illa non veniat ab alio quoquam ipſis imponenda; ipſimet potiùs eam ſibi conſtituant: quò vel tali ratione tam infamem & pernicioſam malorum radicem euellant.

CAPVT IIII.

Tempus putationis aduenit.

TEmpus quidem putationis aduenit; ſed verè necdum modum inueni. Verba hæc in Cantico canticorum, inter alia plura eiuſmodi, dicebat ſponſus ſpõſæ; vt illam ad ſe quibus poterat medijs & modis alliceret, & caſto ſui amore ineſcaret. Id dicit & Chriſtus Eccleſiæ: *Tempus putationis venit*; tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei; tempus eſt, vt abuſus & ſcandala tollantur è medio, & demergantur in profundum maris; & ſic Eccleſia immaculata, in omni opere bono fructificans, & nihil, ſi fieri poſſit, praui germinis relinquatur, ſed totum radicitus erũcetur. Hac etiam *Cant. 2.*

oppor-

opportunitate putationis D. Bernardus hortatur Eugenium iam recèns è monasterio ad Pontificalis honoris & oneris excellentiam sublimatum, vt abusuum & corruptelarum quotidianis irreptionibus prudenter solerterque inuigilet, & omnibus bene *consideratis*, quodcumque vitiosum est, è medio tollat. Sed eius in hac parte vestigia legere cupientes, pro nostra tam scelestæ propaginis *putatione*, præsidia ex ijs, quæ super ipsa Cantici verba describit, accõmoda nobis vsurpabimus. Sic enim ibi verè ille sanctus, abusuum osor, runcator excessuum, & monstruosorum morum imperterritus domitor, tam sanctæ putationis artem exequitur, suisque exercendam commendat: *Tempus putationis venit*; Ad vineas (inquit) excolendas educitur sponsa; quæ, vt possint vberioribus fructibus respondere colonis, ante omnia necesse est sarmenta sterilia proijci, succidi noxia, *putari* superflua. Quis enim ita ad vnguem omnia in se superflua resecauit, vt nil se habere *putet putatione* dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & redaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; sæpe putandum est, immo (si fieri possit)

Bernard. Serm. 58. sup. Cãt.

possit) semper: quia semper, quod putari oporteat (si non dissimulas) inuenis. Idem sic ibidem: Vnum in tanto discrimine consilium est; *Obseruare diligenter*, & mox vt *renascentium capita apparebunt*, *prompta seueritate succidere*. Non potest virtus cum vitijs pariter crescere. Ergo, vt illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgent. Vtilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus *operam putationi*. Putetur cupiditas, vt virtus roboretur. Nobis, fratres, putationis semper est tempus, sicut semper est opus. Hucusque D. Bernardus. Quin ita & nobis, respectu tam noxiæ fruticis, (*putabam* inquam) sit semper runcandi, frondandi, putandi, & amputandi tempus; quia semper, ob assiduam repullulationem, est opus; non superest dubium: quemadmodum nec in eo, quin maior sit futura virtutis fertilitas, quò magis rescinditur & exterminatur tam pestilens germen. Neque ignorauit hoc Rhacones, Mardus genere; qui cùm degenerem filium ipsemet Iudicibus plectẽdum offerret, illiq; rei nouitate perculsi, rem & rei causam ad Artaxerxem Regem referendam iudicarent; ipseq; Rex Rhaconem interrogasset; Potisne esset ferre

Ælian. lib. 1. Var. hist.

ferre vt filius in suo conspectu vita priuaretur: respondit; Maximè. Quoniam cùm in horto nascentium lactucarum *surculos amaros defringo & amputo*; tantum abest, vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, vt etiam magis efflorescat. Ad eumdem modum ego, ô Rex! cùm videro eum, tam noxium ceteris totique familiæ, tolli è medio; etiam ipse amplificabor, & reliquos mei generis prosperiùs agere contemplabor. Ita haud dubiè & nobis, sublato hoc *putabam*, consultiùs est futurum.

CAPVT V.

In amputandi mora periculum.

PSalmista prudenter diuincque prospiciens euentura non parua incommoda, quæ & suo & diuino honori indignam aliquando maculam & ignominiam essent illatura; in hunc modum
Psal. 118. precatus est Deum: *Amputa opprobrium*, quod suspicatus sum. Non tantùm id prohibe, aut aliam in partem detorque, aut etiam in nihilum redige: sed *amputa*, citò rescinde, sine mora conuelle; vt ne quidem ad momẽtum remaneat, vbi crescere & ad perfectum procedere possit; sed quantocyus extermina, vt emo-

emoriatur in ortu, & ſicut tela quæ, priuſquã ordiatur, præſcinditur. Quod vt & nos à Deo precemur, & quibus poſſumus modis ad tam ſalutarem ac neceſſariam huius prauæ fatuitatis putationem & amputationem manum admoueamus, *varias* hîc *amputationum ſpecies* in medium proferemus; quarum comparatione videre poterimus, quàm commodè, quàm facilè, quamque ſuauiter & vtiliter nos hanc *amputationem* admittere & procurare debeamus, præ omnibus illis, quas hîc animi gratia, & maioris luminis emolumento, expendemus.

CAPVT VI.

Adonibezec, & ſeptuaginta Reges.

DE Adonibezec Rege ita legimus in ſacra Scriptura: Fugit autem Adonibezec; quem perſecuti comprehenderunt, *cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Dixitq; Adonibezec: Septuaginta Reges, *amputatis manuum ac pedum ſummitatibus*, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: *ſicut feci*, ita reddidit mihi Deus. Quis non minori labore, dolore, ac diſpendio, maiorique cum vtilitate, amputari ſibi permittat illud exube- *Iudic. 1.*

exuberans erroris frutetum, quod ipsi freqūēter oboritur, & in fœdam erumpit mephitim, *putabam?*

CAPVT VII.

Hanon, & serui Dauid.

2.Reg.10. MOrtuo Rege Ammonitarum, misit Dauid viros, qui Hanonem regni heredem super patris interitu consolarentur. At ille, sinistrè quorumdam suggestione hoc officium pietatis interpretatus, vt exploratores excepit. Tulit itaque (infit historia) Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsq; ad nates, & dimisit eos. Quod cùm nunciatum esset Dauid, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde, & mandauit eis Dauid; Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini. Quis hîc iterum non mallet superuacaneum & damnabile illud *putabam* ex ore sibi amputari, quàm fœdam illam atq; ignominiosam barbę vestimentorumq; amputationem admittere? Quis non potiùs eligat probrosum sibi quid cum laude spectantium adimi; quàm, quod decoris & honestatis est, cum verecundia tolli?

CAPVT

CAPVT VIII.

Septem Machabæi, fratres.

COntigit, inquit historia sacra, septem fratres ex Machabæis vnà cum matre sua apprehensos, compelli à Rege Antiocho edere cōtra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Quod cùm constanter negarent; iussit vni ex illis *amputari* linguam; & cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei *præscindi*: & ita cum alijs actum est. Et quare non etiam nos hoc saltem insensati pectoris & imprudētis linguæ profluuium resecemus, potiùs quàm vt hoc ipsum nos apud Deum capitis reos constituat; propter graues & multos errores, in quos illud *putabam* nos immergit? 2. Mach. 7.

CAPVT IX.

SS. Martyres aliqui.

DEntes *excussi* Martyribus, *extracta* linguæ, poplites *excisi*, *amputata* manus & pedes, *effossi* oculi, *detruncata* nares, mammillæ *euulsa*, *decaluata* virgines in theatro ad risum expositæ: denique, quanta passi sunt tormenta, vt securi peruenirent ad palmam martyrij! Et nos, ne tantillum vel faciamus, vel Marty-rol. Rom.

patiamur, vt ab infami illo dedecore liberemur? ne tantillum, inquam, in nobismetipsis, non ad pœnam, sed ad palmam, non ad ignominiam, sed ad nominis & honoris incrementum, non ferro, sed voluntatis imperio, sensim & quodammodo sine sensu, resecare poterimus, vt illud *putabam* exstirpetur?

CAPVT X.

Sanctus Ioannes Damascenus.

Fulgos. lib. 1. c. 6.

THeodosius Imperator falsò suspectum habuit Ioannē Damascenum, ne ad Persas scriberet, apud quos captiuus fuerat. Itaque *abscissa* manu eum multauit; quæ Saluatoris nostri Matris Virginis ope, nulla remanente offensa, palàm restituta est, vt antè erat, etsi Ecclesiæ valuis affixa multos manserat dies: quæ res Damasceni innocentiam indubitatè testata est. Quidni nos quoq; Deiparæ Virginis ope ac intercessione id à Deo impetremus; vt hoc perniciosum *putandi* malū *amputemus*, & ex imis animi nostri recessibus etiam fibras ipsas tam pestilentis fruticis euulsas proculcemus?

CAPVT XI.

Ruffinus, militiæ Dux.

EO superbiæ dementiæque cùm venisset Ruffinus, vt generum habere præsumeret Imperatorem Theodosium, necdum elato suo animo fecit satis, sed & imperium ipsum maligno molimine affectauit: cumque iam rebus omnibus (vt *putabat*) rite confectis speraret fore, vt à militibus Imperator acclamaretur; repentè à toto exercitu circumuentus, ita omnium hastis & gladijs est confossus & concisus, vt singulis ferè singula partita Ruffini mẽbra pro trophæis cũ pompa ab exercitu in vrbem sint relata. Eminebat in primis caput impositum pilo; iucundumque afflicto populo Constantinopolitano spectaculum eius dextera præbuit; quæ à milite quodam circumlata, attractis remissisque in vicem neruis, nunc obolum mendicãtis, nunc accipientis speciem referebat: quo ludo intoleranda & inuerecunda ipsius habendi cupiditas & auaritia ridebatur. Quòd si erroneum illud & infame *putabam* ex omniũ faucibus *amputatum* in publicum proferretur; quàm iucũdum præberet spectaculum! qualem iocum spectantibus daret, præsertim vt illius

Zosimus libro 5. Claudianus lib. 6. & D. Hieron. epist. 3.

 pestis

pestis osoribus, ita boni communis amatoribus! Proijciamus ergo potiùs à nobis hoc virus, quàm vt sit nobis in nouissima mundi scena opprobrio indelebili.

CAPVT XII.

Zeno Philosophus.

Val. Maximus. lib. 3. c. 3.

CVm Zeno Philosophus à Nearcho tyranno torqueretur, doloris victor, sed vltionis cupidus, esse dixit, quòd secretò audire eum admodum expediret: laxatoque eculeo, postquam insidiis opportunum tempus animaduertit, aurem eius *morsu corripuit*, nec antè dimisit, quàm & ipse vita & ille corporis parte *priuaretur.*

Arripiamus & nos (saltem metu gehennæ & eculei infernalis, *remordentisque* interiùs cōscientię stimulis excitati) absurdissimum illud atque absonum, prudentiumque auribus infestissimum dictum, *Putabam*: nec desistamus, donec illud radicitus euulserimus; ne in mortis articulo atque extrema vitæ periodo nobis sit in singultum.

CAPVT XIII.

Lucretius, & Sanguineus, eius filius.

Boëtius lib. de discip. schol.

SImile sic satis exemplo iam dicto est istud, quod modò narrabimus. Boëtius

tius refert,libro de disciplina scholariũ, de quodam Lucretio, cuius filius Sanguineus propter sępe indulta,sæpiusq́uę patre intercedente remissa delicta suspendio adiudicatus; patri extremum dicturus vale, *nasum* sub speciem osculi *dentibus apprehensum præscidit*, dicens: Si me à teneris castigasses, non huc denique deuenissem.

Vtinam & nos,exemplo vt minimùm aliorum, & extrema morientium voce permoueamur, qua (præsertim in magnis Reipublicæ rebus) conquesti sunt, suamq́ue negligentiam & oscitantiam sunt confessi ac detestati:quòd nimirum tam crebrò & grauiter in errorē hunc lapsi fuerint; vt nihil aliud haberent, quod maximis quoque Reipublicæ detrimentis,sua culpa creatis,obtenderēt, quàm puerile illud,indignum prudentis ore vocabulum, & virgis plectendum, *Putabam*.

CAPVT XIV.

Anaxarchus Philosophus.

CVm à Cyprio tyranno Nicacreonte Anaxarchus Philosophus torqueretur, nec vlla vi inhiberi posset, quo minùs amarissimorũ eum maledictorum *Valer. Max. lib. 3. cap. 3.*

verberibus in vicem ipse torqueret; ad vltimũ, *amputationẽ linguæ* minitãti, Non erit, inquit, effeminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis: protinusque *dentibus abscissam*, & commanducatam linguam, in os eius ira patens expuit. Multorum aures (inquit Valerius Maximus) illa lingua, & in primis Alexandri Regis, admiratione sui attonitas habuerat, dum terrę conditionem, ambitum maris, siderum motus, totiusque denique mundi naturam; prudentissimè & facundissimè expromsit. Pæne tamen occidit gloriosiùs quàm viguit: quia tam forti fine illustrem professionis actum comprobauit; Anaxarchique non vitam modò deseruit, sed mortem reddidit clariorem. Ita Valerius.

Ego autem hanc omnem laudem ei lubens meritoque concessero, qui non linguã suam momorderit exspueritque; sed, qui illam deinceps tali iure legeque possederit munieritque, vt indignum existimet quę ignobili degeneriique hac voce, *putabam*, coinquinetur: sed ita illud ipsum exterminet; vt ei in posterum pronunciando, quasi prorsus elinguis videatur.

CAPVT

CAPVT XV.

Adolescens Ægyptius, Christianus.

SAnctiùs laudabiliusque hunc actum exercuit adolescens quidam Christianus. Persecutionis enim in Christianos acerbitatẽ, quæ Decij ac Valeriani temporibus summè vigebat, describens Hieronymus, de adolescente isto sic narrat: quòd ad ipsius pudicitiam labefactandam, loco amœnissimo, super exstructũ plumis lectum resupinari curarint; &, ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quò cùm, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset; cœpit delicatis stringere colla complexibus, &, quod dictu quoque scelus est, miris artibus ad venerem, etiam nolentem, prouocare. Quid ageret miles Christi, & quò se verteret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, inuitum molliebat voluptas. Tandem cælitus inspiratus, *præcisam morsu linguam* in osculantis se faciem exspuit: ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit; & vnde vinci incipiebat, inde victor euasit. *Hieron. in Vita Pauli primi Eremitæ*

Quid, quæso, prohibeat, quo minùs & nos linguam nostram (non dico præcidamus) sed, si rogata aliquoties, *Lingua*

quò vadis? se necdum coërcuerit; morsu carnis & libamine vini aliquot dies, in mulctæ pœnam & terroris remedium, sponte priuemus: donec volũtario hoc sepimẽto ac terriculamento scelestum illud *putabam* penitus à nostris limitibus arceamus.

CAPVT XVI.

Origenes Adamantius.

Fulgosius lib.4.c.3. Meritò potest huic adolescenti Origenes Adamantius succedere, si non æquè laudabili facto, neque vllo modo imitando exemplo, certè non minùs admirabili ac stupendo. Nam, cùm præter continuas vigilias, ieiunia, calores, frigora quæ ferebat, nudis pedibus, vnica tantùm tunica tectus, nec carne, nec vino vmquam vtens, vitam in graui volũtariáque inopia ducens, non satis existimaret se corpus ab omni venerea labe mundum seruare; vt suspicione quoque careret, nec minùs famam quàm corpus sine labe teneret; *sectis genitalibus membris*, eunuchum se fecit: non quidem ex mente Domini, dicentis; Sunt qui seipsos *castrauerunt* propter regnum DEI; *Mat.19.* neque vllo iure legitimè vel licitè hoc perpetrauit: fecit tamen, ac se ipse hac parte *mutilauit*.

Et quidem si tantus amor mentes nostras incesseret, semel nos illo adulterino spurioque *putandi* semper & *opinandi* fruteto abdicare: quid vetaret, quo minùs effectũ sic cõcupitum consequeremur; si & tam horribile repugnansque naturæ facinus ab homine perpetratur?

CAPVT XVII.

Transfugarum supplicium.

Q. Fabius, omnium, qui ex Præsidiis Romanis ad hostes transfugerant captíque erant, *manus abscidit*: vt trunca præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis iniicerent. Rebelles itaque manus à corporibus suis *distractæ*, inque cruentato solo sparsæ, ceteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt. *Valer. Max. lib. 2. cap. 2.*

Quare non & documento sint nobis in hac semper *putandi* perfidia tot templa, tot monasteria, tot arces & egregiæ vrbes, vel solo æquatæ, vel ab hostibus ob nostram ignauiã interceptę; quorum omnium errorum si causam quæsiueris, *Putabam*, &, *Non putabã*, ipsis ferè ruinis ruderibusque non rudi stylo neque obscuris notis insculptũ inuenies. Et quis meritò negare possit, quin ipsi lapides

ſparſim in cœno iacentes, & volutati per compita, loquantur, teſtenturque pluſquam lapideis noſtris pectoribus, ſe per oſcitabundum noſtrum *putabam* iſta pati.

CAPVT XVIII.

Amputata menſariorum manus.

Rapt. Fulg. lib. 6. cap. 3.

GAlba, qui & poſtea imperauit, cùm aliquãdo in Hiſpania Procõſul eſſet, quibuſdã nummulariis, quos & menſarios vocant, manus *pracidi* iuſſit, & menſæ eorum affigi; quia fraudulenter pecuniam tractare comperti erant.

Si ita & linguas quorumdã, ſubſelliis, tribunalibus, roſtris, orcheſtris, cathedris, pulpitis, ipſiſque adeò tholis & amphitheatris, affixas cerneremus; eorum præſertim, qui per iſtud infandum *putabam* vel *non putabam*, res, quibus præfecti fuerãt, ſiue ciuilis, ſiue bellici, ſeu etiam eccleſiaſtici fori, peſſum ire permiſerunt: non minùs, quàm illæ truncatæ menſariorum manus, aliis forent documento, vt prudentiùs agerent, neque in Reipublicæ muniis tam oſcitabunde ſe gererent.

CAPVT XIX.

Iniquo Iudici detracta pellis.

CAmbyſes inuſitatæ ſeueritatis, iniqui cuiuſdã Iudicis ex corpore detractam pellem ſellæ intendi, in eaque filium eius iudicaturum conſidêre iuſſit. Ceterũ & Rex & barbarus atroci ac noua pœna Iudicis, ne quis poſtea corrumpi Iudex poſſet, prouidit. *Valeri. Max. lib. 3. cap. 3.*

Manus iniquorum nummulariorum menſis affixæ in præcedẽti exemplo ceteris fuêre documento: hîç pellis iniqui Iudicis ſellæ iudiciariæ intenſa, Iudicibus ſecuturis, & in primis filio, horribili & documento & terriculamento fuit. Quis autẽ, vt ſuperiùs dixi, non exhorreſceret, & illud exitiale nocumentum (quod *Putabam* vocamus) in ſalutare documentum conuerteret; ſi linguas in hunc feralem ſcopulum impingentes vbique locorum affixas intueremur? At, quanto faciliùs ſatiúſque foret, ſeruatis linguis, infauſtum illud *putabam*, & in primis radicem eius, inſcitiam, & ſupinum agendi modum, amputare!

CAPVT XX.

Amputata Cilliconis manus.

Apophth. lib. 8. cap. 117.

Cillicon iste, quòd Miletum *patriam* Prienensibus prodidisset, meritò hoc nomine omnibus exosus habebatur. Huius itaque perfidiā lanius quidam Theagenes hunc in modum est vltus. Cillicon adijt Theagenem in macello emturus carnes: lanius autem dissimulato odio, porrigit carnium partem, veluti resecturus quod superesset. Cillicon profert dextram ex aduerso retenturus carnes; Theagenes autem machæra sublata, proditoris *manum amputauit*: ac, ne videretur errore factū, addidit; Ista saltē manu posthac non proditurus es vllam ciuitatem. Applaudebatur lanioni, quòd impium pro dignitate tractasset: hincq; natum adagium; *Cilliconis exitium*.

Quanto autem nos maiori cum laude, minori negotio, & vberiori cum merito, proditorium illud, insidiatorium, falsarium, incendiarium, Reipublicæ, patriæ, regnique totius & animarum *exitium* (in rebus, inquam, magnis) *putabam*, amputemus!

CAPVT

CAPVT XXI.

Zopyrus Persa, Darij Dux.

STupendum *amputatorum*, incisorum, & mutilatorũ spectaculo exemplum nunc nobis Zopyrus exhibebit. Cùm enim Darius Babylonem obsideret, quòd ea ciuitas ab ipso defecerat, atq; eius potiundæ ratio difficillima esset: Zopyrus, Darij militarium Ducum vnus, maxima erga eum fide atque amore insignis, sibi ipsi nasum, aures, atque labra desecuit; atque ita malè compositus, noctu ad Darium se contulit. Cùm Darius eo adspectu commotus esset: Zopyrus se rei esse auctorem narrat, ac consiliũ aperit, quo impulsus id egerit; statimque inde ad Babylonios proficiscitur, eisque sermone ad id composito narrat, ita se, vt videbant, à Dario affectum, quòd eum quibusdam de rebus reprehendisset. Crediderunt Babylonij ea narrãti, quia etiam signa ostendebantur, quibus ficti nihil videbatur obtegi posse: & ipsi ecce, per istud *putabant*, decepti fuerunt. Itaque, quia Zopyrum ingentis virtutis norant virum esse; quarumdã copiarum curam ei demandarunt. His copiis Zopyrus sæpe cum Persis manu conserta, victor è prælio excedebat; nec parua incõmoda Persis

Bapt. Fulg. lib. 7. cap. 4.

Persis inferebat. Itaque cùm se in magnam apud Babylonios opinionem per hunc modum insinuasset; Dux omnium copiarum ab eis creatus, haud multo pòst assecutus est, vt eo astu per noctem Darium in vrbem reciperet: hoc exemplo ostendens, numquam tam grande pignus de hoste haberi posse, vt penitus ei credendum sit. Est autem in hac re illud quoque adhuc incertum; fueritne in Darium maior Zopyri fides atq; amor, quàm ipsius ad fallendos Babylonios astus & calliditas.

At, quanto faciliùs, quantoque satiùs illud maximorum malorum fomentum (*putabam* inquam) *amputaremus*! quantoque venustiùs, non solùm faciē, verū etiam nomen, gradum, officium, genus & familiam, atq; adeò vniuersam Spartam, nostræ fidei, industriæ, & curæ cōmissam exornaremus; si detestandum, informe, ignominiosum illud dehonestamentum familiis, arcibus, mœnibus, aulis, palatiis, castris, regnis, imperiis, Ecclesiisque eliminaremus! Quod quidem futurum esset; si in omnibus rebus gerendis maturo prouidoq; consilio vteremur; si bene consulta, prudenter, circumspectè, fideliter, fortiterq; exequeremur; si, quidquid familiæ, Republi-

cæ, exercitui, regno, & cuicumque commissæ prouinciæ officere posse animaduertitur, tempestiuè prospiceretur, ac maturè remoueretur; & quidquid è cõtrario bonum, vtile & commodum iudicatur, seriò procuraretur adhiberetur-que: itáque omnia disponerētur, dirigerentur, & effectui mandarentur; vt nihil sit, quod post factum derisorio hoc velamento indigeat, vt dici debeat, *Non putaram*.

CAPVT XXII.

Amputatio capitis.

POst varias variarum partium humani corporis *amputationes*, nunc ad primariam ac peremtoriam venimus, quæ capitis est *amputatio*, seu *decollatio*. Amputatum est caput Holoferni à Iudith: Goliæ gigantis caput amputauit Dauid: Sibę rebellis caput in Abela est amputatum: amputatū est quoq;, vt scimus, caput S. Ioannis Baptistæ, Iacobi Apostoli, & plurimorū aliorū sanctorū Martyrum: quos eo tantùm respectu cum iniquis referimus; quòd, secundū propositi nostri argumentum, *amputatio capitis* sit peremtoria atque mortifera. Vnde & obseruatu est dignum, quòd multis vtriusque sexus Martyribus varia ac multiplicia aliquando tormēta nequidquā adhibita fue-

fuerint; quæ alioqui ex suo genere ad mortem inferendam sufficere poterant; vt sunt ignis, bestiarum, euiscerationum, demersionis, & similium: & tamen frequenter permisit Deus, vt his aliisque superatis, sola *capitis amputatione* è viuis excederent, & palmam martyrij consequerentur. *Amputatio* itaque *capitis* est peremtoria atque letifera: cùm caput nimirum, fons vitæ, à corpore demitur. Vnde & videmus naturæ instinctu non solùm siluestres feras, verumetiam venaticos canes, dum animali alicui bellum mouent, caput, si quo modo possūt, impetere: cuius exitio totius reliqui corporis victores euadunt. Hinc non alio quoq; instinctu Herodias filiæ saltatrici præcepit, vt postularet *caput* Ioannis in disco: hoc est, quod & hæreticos tantopere incessit; caput Ecclesię impugnare.

Ex quibus manifestum euadit, pestiferæ huic *putandi* labruscæ, & *erratica* viti nullam incisionem, nullā runcationem, aut *putationem* sufficere, sed penitus esse *amputandam* & radicitus exstirpandam. Neque verendum est, ne, ad hydræ morem, excisis capitibus totidē denuo renascantur, si origo & fons mali istius, velut caput, fideliter amputetur. Lerna ipsa funditus eruatur, ex qua & nascitur

& nutri-

& nutritur istud *putabam*, multorum capitum monstrum. Non enim in eo totius mali summa consistit, cùm post errorem commissum partumque iam erroris damnum, pudibũdo ore profertur fœdum illud purgamentum, *Putabam*; sed quando per imprudentiã, inscitiam, fatuitatem, inconsiderántiam, oscitantiã, & supinum agendi modum, intolerandamq; incuriam vel aliquid fit, quod minimè factum oportebat, vel è contrà aliquid negligẽter omittitur, quod omnimodis facto opus erat; atque ex eo errore (tamquam capite) omnia deinde incommoda enascuntur: atque ibi tum propriè est illud infaustum & infandum *putabam*, quando, qui istum errorẽ committit, stultè *putat*, vel, pro re nata, *non putat*, quod suum reale *putare*, vel *non putare*, verbaliter profitetur, cùm errore cõmisso dicit, *Non putaram*; vel, prout res fert, *Putabam*. Et ibi (ne erremus) consistit hoc *amputandum caput*; quando ante negotij vel operis inchoationem improuidè & oscitanter *putatur* hoc vel illud, quod nulla prudentia aut rationis iustæ soliditate subnixum est: vtque ibi malorum inde sequentiũ caput, ita ibidem ad illud amputandũ machæra correctionis est adhibenda; & quia illic est radix, ibi & securis districtæ disciplinæ

est admouenda. Eoque capite amputato, nullum ampliùs germen istius verbalis *putabam* ex labijs pullulabit: si enim non putando, sed sciendo processeris; vt non errabis, ita nec opus futurum est, vt errori tuo velamen illud infame *putabam* obtendas.

CAPVT XXIII.

Amputationis causa, delicta.

AMputetur ergo funestum hoc tantorum malorum *caput, putabam*.

Quid non ebrietas designat? inquit Poëta: at ego; Quid non istud scelestum *putabam* designat? quid in vniuerso propemodum orbe, ab ipso creatarum rerum exordio, mali euenit, cujus non aliquo modo causa dici possit?

Quid siquidem ab ipsis rerũ primordijs tot spirituum angelicorum myriades conuertit in dæmones, nisi fallax illud & malesuadum *putabam*?

Quid primos (proh dolor!) parentes insusurrante serpente è paradiso exturbauit, nosque omnes in istas calamitates coniecit, nisi *putabam*?

Quid iniquum impiumque Cainum in Abelem fratrem instigauit, vt eum occideret, primusque telluris gremium fraterno cruore incestaret? *putabam*.

Quid-

Quidnam illud insipiens hominum genus ita distinuit fascinauitque; vt ne quidem, Noë arcam diluuij venturi prçnunciam tot annis fabricante, resipuerint, sed ad vnum omnes; quos illa non saluabat, communi illo cataclysmo submersi sint: quid, inquam, sic eorum oculos perstrinxit, & in exitium egit, nisi illud *putabam*?

Quid illos giganteos theomachos ad Babylonicæ turris insanum conceptum, cælique præsumptam impugnationem induxit, nisi stultum illud & vanum *putabam*?

Quid generos Loth occæcauit, vt sese cum ipso per Angelos ex Sodomitico incendio non permiserint liberari, nisi *putabam*? Visus est enim eis ludens loqui, inquit Scriptura, dum eos de ingruentibus cælitus flammis commoneret.

Quid item filias Loth è flammis eductas incendit, vt cum patre vicissim incestum committerent; existimantes omnes viros extinctos: quid, inquam, nisi *putabam*?

Quid Esau primogeniti iure priuauit, nisi hoc inconsideratum *putabam*?

Quid fratres Ioseph in ipsius interitum inflammauit? quid aliud, nisi *putabã*?

Quid Dinam Iacobi filiam in nassam illexit,vt,dum curiosiùs feminas oppidi Sichem contemplatur,à Regis filio fuerit constuprata? & quid ciues illos ad internecionem induxit,opinantes vera esse quæ eis subdolè à filijs Iacob,fratribus Dinę, proponebantur, vt circumciderentur, & dolo surrepti sunt & necati? quid, inquam,vtrobique disposuit laqueos,& in errorē induxit,nisi *putabam*?

Quid, quæso,superbum obduratumque Pharaonem cum omni exercitu in mare demersit,quando spe plenus filios Israel insequebatur, nisi *putabam*?

Quid ipsum quoque Aaronem fefellit, vt vitulum aureum faceret? *putabam*.

Quid fortem prudentemque decepit Iosue,cùm sibi præter morem à Gabaonitis fallacibus imponi permitteret; eo quòd os Domini priùs non cōsuluisset; ipsi verò, cùm proximi essent decursu victoriæ intercipiendi, se longinquos fingebant? *putabam*.

Quid armipotentem Sisaram in miseram perniciem egit, cùm in tentorium Iahelis cōfugit; ibi mortem reperiens, vbi quærebat vitam? *putabam*.

Quid Iephte triumphantem coëgit filiam propriam capite plectere, cùm victor

victor reuertens Deo iurasset, primum sibi occurrentem immolare? *Non putaram*. Non enim putabat dilectam filiam occursuram: & ecce prima gratulabunda fit obuiam.

Quid insuper Philisthæos adegit, vt tam miserè toties Samsoni pœnas darent, arbitrati eum tali vel tali pacto impotem fore? *putabam*.

Quid autem Heli causæ fuit, vt retrorsum è sella collapsus ceruicem confregerit; dum filiorum peccata impunita relinqueret? *putabam*.

Quid similiter filios eius duos, Ophni & Phinees, in bello interimi, & arcam fœderis, quam gestabãt, à Philisthæis capi fecit; dum putarent se per arcæ præsentiam de hostibus triumphaturos: quid, inquam, nisi *putabam*?

Quid Saulem Regem in perniciem & proprium tandem gladium ruere fecit, nisi seductorium illud, & in animi præfractionem inducens, *putabam*?

Quid eheu & ipsum Dauidem in adulterium & tandem in homicidium impulit; vt vnum peccatum superaddito altero occultare sperarit? *putabam*.

Quid filium eius Salomonem, vt idolis vxorum alienigenarum & altaria fanaque erigeret, & ipse quoque, *infa-*

tuatus à feminis, immolaret? *putabam.*

Quid Naaman Syrum, militiæ Principem, virum alioqui cordatissimum, in *errorem* induxit, vt iratus, & à lepra incuratus ferè domum reuersus sit; cùm Eliseus non prodiret, neque manus ei imponeret, vt sibi vanè persuaserat? *putabam. Putabã* (inquit) quòd egrederetur vir Dei ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui; & tangeret manu locum lepræ, & curaret me. Ecce, quot tibi *putamina inania*, & amputanda meritò vitulamina, in illo Naamanni *putabam.*

Quid etiam furibundam illam Iezabelem è fenestra præcipitem dedit, & à canibus deuorari fecit, cùm ornata fucataque facie Iehu ingredientem in ciuitatem prospexit, eique insultare præsumebat? *putabam.*

Quid in vnum collectos ex toto Israel sacerdotes Baal in templo Baal occidi curauit, cùm se à Iehu ad solemne sacrificium vocatos putarent? *putabam.*

Quid Holofernis satellites, excubitores, totamque Assyriorum virtutem fefellit; vt tam liberè Iudith omnia in caput Holofernis machinaretur, omnemque

que ipsius exercitum exitio daret? quid aliud, inquam, nisi *putabam*.

Quid Amannum fastuosissimum in crucem, quam Mardochæo parauerat, egit? *putabam*.

Quid amicos Iob, onerosos illos consolatores, ita fecit desipere, vt risui exponantur, cùm summè se sapere arbitrarentur? *putabam*.

Sed, quid ago? Númne omnia peruersæ huius radicis germina & exempla calamitatum in sacris codicibus descriptarum, ex *Amputando* isto *Putabam* prognatarum, me posse hîc recensere *existimem*? Tantum abest vt id præstem; vt ego potiùs hîc exemplo *erroris* sim ceteris: vt, rogatus, quid me tam temere in superuacaneum conatum impulerit, dicere cogerer; *Putabam*. Itaque protensum hucusque narrandi filum, duobus tantummodo adhuc adiectis exemplis, abrumpam.

Quid Saulum Ecclesiam Christi tam acerbè persequi fecit; vt Christianorum sanguinem instar lupi rapacis sitiret? *putabat* se obsequium præstare Deo.

Quidnam Angelum siue Episcopum Laodiceæ Ecclesię (in Apocalypsi Ioannis) eò adegit vecordiæ; vt ignoraret, quòd miser, & miserabilis, & pauper, &

cæcus, & nudus esset, quoad animum, & Ecclesiæ administrationem? Nempe, quia se diuitem, locupletem, & nullius egentem *putabat*.

Ecce, ecce, inquam; quot quantisque grauatur sceleribus nefandissimum illud *putabam*; quod non solùm in terris & terrenis hominibus, sed etiam in cælestibus & cælis ipsis, perturbat omnia: nihilque tam sanctum, tam potens, tamque inuiolabile, de quo non audeat præsumatque sibi victoriam polliceri; vt post ignominiosissimum perniciosissimumque erroneum facinus nihil vltrà supersit refugij solatijque, quàm vt cunctorum turpissimorum errorum ignauum hoc obtendatur velamen, *Putabam*.

Quis igitur non omnibus modis detruncandum *amputandumq́;* hoc inuisum caput iudicarit?

CAPVT XXIV.

In amputandum caput istius putabam *criminum agglomeratio.*

IAm permelicet, vt, cuicumq; lubuerit, ad istorum ex sacris historijs productorum exemplar atq; imitationem, etiam per profanos auctores, & potissimùm historiographos, aut etiam per quæ-

quæcumque vel memori mente selcgerit, audire videreque meminerit, spatietur, consideret, contempleturq;, an non maxima ferè semper, tum priuata particularium familiarum & personarum, tum publica ciuitatum, regionum, ac regnorum dispendia, bonorum amissiones, famæ iactura, ignominia generis, Reipublicę pernicies, Ecclesiarum conuulsiones, disciplinæ militaris excidium, publicæ pacis naufragium, patriæ deuastatio, euersio regnorum, innumeræ hominum innocentium cædes, agrorum direptiones; & quidquid demum malorum ex Superiorum, Rectorum, Gubernatorum, Ducum, Capitaneorum negligentia, vel qualicumque mala gubernatione prouenit; an non, inquam, ex hoc malitioso & detestabili *putabam* promanet?

Hoc est, omnibus bene perlustratis, consideret quisquis volet, an non omnium ferè malorum, damnorum, & incommodorum congeries ex eo nascatur, quòd in rebus gerendis, obeundis negotiis, officiis rite exequendis, & prȩsertim in personis ad ista munia deligendis & constituendis, non tam certa ac debita adhibeatur sciẽtia ac prudẽtia, quàm vel fauor, vel commẽdatio; quod-

que potissimùm crassa admodum negligentia, supina oscitantia, & fatua confidentia, se hisce rebus interserant: adeò, vt necessarium sit tali ex fonte oriri non nisi turbidam aquam, & fæculentos impotabiles haustus, nihilque supersit, quod post tam crassos errores prætexatur, quàm vt verecundè & palpitanter dicatur, *Putabam*; vel, vt aliàs dixi pro rei natura, *Non putabam*.

Totius tractatus Epilogus.

QVæ cùm ita se habeant, nequeatque pro delictorum magnitudine & numero, quibus istud nefarium *putabam* obnoxium esse conuincitur, certa vel æstimandi vel castigandi ratio iniri; est in confesso, illud ipsum omni studio ac celeritate esse *amputandum*.

Vtinam igitur exoriatur aliquis, qui illud bellicosi Abisai, Ducis Dauid, ex
16. animo dicat & faciat: *Vadam, & amputabo caput eius*. Caput autem & radix istius insulsi, insipientis, & infandi *putabam*, est, (vt suprà docuimus) inscitia, imprudentia, fatuitas, inconsideratio; quę semper fecunda multorum errorum & amputandi huius *putaminis* esse consueuit: à quo oculata prudentia & circumspectio (quantum quidem per humanam fragilitatem conceditur) est immunis. Quod

quia

quia in prima huius tractatus parte ex professo est demonstratum; orabo Lectorem, vt ne grauetur eamdem reuisere, vt finem cum principio connectendo, perfectæ figuræ formam huic operi imprimat. Quod si fecerit, manifestè videbit, & hunc in finem susceptum fuisse istud laboris; vt infame illud *putabam* toti mundo (quantum quidem in me esset) exosum redderem; & sibi deinceps hoc munus incumbere, vt vigilanti cura sermones suos & actus obseruet, illudque execrandum *putabam* sibi *amputandum* certò persuasum habeat, amputatumque quàm longissimè à se suisque moribus alienet. Et id quidem meritò: nam si Dominus ipse dignatus est hanc nobis praxim cõsulere, & dicere; Si manus vel pes tuus scandalizat te, abscinde & proijce abs te: quid dubium reliqui est, quo minùs in hac omnium ferè scandalorum offensarumq; *amputanda* propagine eamdem praxim exerceamus? Id profectò tam vnicuique consultum est, præsertim quibus res magnæ commissæ sunt, quàm est alicui propria salus; priusquam DEVS vitæ currentis stamina *amputet*: & opprobrium sempiternum tunc eos maneat, quibus non fuerit tempori *amputatum*. *Matth.5.*

FINIS.

ERRATA.

Pag. 55. lin. 8. à fine, *cur*, lege *quia*.
Pag. 129. lin. 2. dele *quòd*.
Pag. 134. lin. 8. *structi*, lege *stricti*.

APPROBATIO.

HIC *liber* R. P. IOANNIS DAVID *Presbyteri Societatis* IESV *de* AMPVTANDO PVTABAM, *quod est radix, stirps, & germen errorum, iucundus est, & multæ doctrinæ, qui omni homini impræmeditatè agenti inseruiet, vt tandem discat cautiùs mercari. Iure ergo in publicum prodibit. Quod testor* III. *Octob.* M.DCXI.

EGBERTVS SPITHOLDIVS
S. T. L. Canonicus & Plebanus
Antuerpiensis, librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate suo sanxerunt, ne quis citra voluntatem Ioachimi Trognęsij, Typographi Antuerpiensis, P. IOANNIS DAVID AMPVTANDVM PVTABAM vllo modo imprimat aut alibi impressum in has regiones importet, venalé ve habeat. Qui secus fa[illegible] confiscatione librorum & graui pœ[illegible] multabitur; vt latiùs patet in litter[illegible] datis Bruxellæ, in priuato Principu[illegible] Concilio, 16. Februarij, 1607.

Signatum

T. de Berti.

In Concilio Brabantiæ 10. eiusdem mensis.

Signatum

I. Fourdin.